κλύουσ' ἐναργῶς, ὥσπερ εἰσορᾷς ἐμέ.
ΗΛ. ἀλλ' ἦ μέμηνας, ὦ τάλαινα, κἀπὶ τοῖς
σαυτῆς κακοῖσι, κἀπὶ τοῖς ἐμοῖς γελᾷς;
ΧΡ. μὰ τὴν πατρῴαν ἑστίαν, ἀλλ' οὐχ ὕβρει
λέγω τάδ', ἀλλ' ἐκεῖνον ὡς παρόντα νῷν.
ΗΛ. οἴ μοι τάλαινα· καὶ τίνος βροτῶν λόγον
τόνδ' εἰσακούσασ', ὧδε πιστεύεις ἄγαν;
ΧΡ. ἐγὼ μὲν ἐξ ἐμοῦ τε κοὐκ ἄλλου, σαφῆ
σημεῖ' ἰδοῦσα, τῷδε πιστεύω λόγῳ.
ΗΛ. τίν', ὦ τάλαιν', ἰδοῦσα πίστιν; ἐς τί μοι
βλέψασα, θάλπῃ τῷδ' ἀνηκέστῳ πυρί;
ΧΡ. πρός νυν θεῶν, ἄκουσον, ὡς μαθοῦσ' ἐμοῦ,
τὸ λοιπὸν ἢ φρονοῦσαν, ἢ μώραν λέγῃς.
ΗΛ. σὺ δ' οὖν λέγ', εἴ σοι τῷ λόγῳ τις ἡδονή.
ΧΡ. καὶ δὴ λέγω σοι πᾶν, ὅσον κατειδόμην.
ἐπεὶ γὰρ ἦλθον πατρὸς ἀρχαῖον τάφον,
ὁρῶ κολώνης ἐξ ἄκρας νεορρύτους

871. ὑφ' ἡδονῆς σοι. Aldus et codd. του male. Vide supra ad v. 378. Eleganter abundat τοι, ut sæpe. Accipi etiam potest pro τοῦ χάριν, vel pro πρὸς τί.

878. ἐναργῶς cum πάρεστι jungendum, non cum κλύουσα. gl. πάρεστι φανερῶς, ὥσπερ ὁρᾷς ἐμὲ ἐναργῶς παροῦσαν.

879. ἀλλ' ἦ. Sic codices alii. In membr. ἀλλ' ἦ cum signo tamen interrogationis in fine sententiæ. Ista quid differant, docebit te Valckenarius ad Hippol. 932.

888. ἀνηκέστῳ. δεινῷ, μανιώδει. In Aj. 52. ἀνήκεστος χαρᾷ. Homericum est epitheton. Il. ο'. 217. Ἴστω τοῦθ' ὅτι νῶιν ἀνήκεστος χόλος ἔσται. ad quem locum Eustathius: Ὅρα καὶ τὸ ἀνήκεστος. ὡς ἐπὶ νόσου γὰρ δεινῆς, τοῦ χόλου, ἐῤῥέθη αὐτό. et E. 394. Τότε κέν μιν ἀνήκεστον λάβεν ἄλγος. In Œd. T. 98. propria significatione adhibetur: ἀνήκεστον μίασμα, id est ἀθεράπευτον.

βεβῶσαν· ἃ δὲ μέγιστ' ἔβλαστε
νόμιμα, τῶνδε φερομέναν
ἄριστα τᾷ Διὸς εὐσεβείᾳ.
ΟΡ. Ἆρ', ὦ γυναῖκες, ὀρθά τ' εἰσηκούσαμεν,
ὀρθῶς θ' ὁδοιποροῦμεν ἔνθα χρῄζομεν;
ΧΟ. τί δ' ἐξερευνᾷς, καὶ τί βουληθεὶς πάρει;
ΟΡ. Αἴγισθον, ἔνθ' ᾤκηκεν, ἱστορῶ πάλαι.
ΧΟ. ἀλλ' εὖ θ' ἱκάνεις, χὠ φράσας ἀζήμιος.
ΟΡ. τίς οὖν ἂν ὑμῶν τοῖς ἔσω φράσειεν ἂν
ἡμῶν ποθεινὴν κοινόπουν παρουσίαν;
ΧΟ. ἥδ', εἰ τὸν ἄγχιστόν γε κηρύσσειν χρεών.
ΟΡ. ἴθ', ὦ γύναι, δήλωσον εἰσελθοῦσ' ὅτι
Φωκῆς ματεύουσ' ἄνδρες Αἴγισθόν τινες.
ΗΛ. οἴ μοι τάλαιν'. οὐ δή ποθ' ἧς ἠκούσαμεν
φήμης φέροντες ἐμφανῆ τεκμήρια;
ΟΡ. οὐκ οἶδα τὴν σὴν κληδόν'· ἀλλ' ἐμοὶ γέρων
ἐφεῖτ' Ὀρέστου Στρόφιος ἀγγεῖλαι πέρι.
ΗΛ. τί δ' ἔστιν, ὦ ξέν'; ὥς μ' ὑπέρχεται φόβος.
ΟΡ. φέροντες αὐτοῦ μικρὰ λείψαν' ἐν βραχεῖ
τεύχει θανόντος, ὡς ὁρᾷς, κομίζομεν.
ΗΛ. οἲ ἐγὼ τάλαινα, τοῦτ' ἐκεῖν' ἤδη σαφές.
πρόχειρον ἄχθος, ὡς ἔοικε, δέρκομαι.
ΟΡ. εἴπερ τι κλαίεις τῶν Ὀρεστείων κακῶν,
τόδ' ἄγγος ἴσθι σῶμα τοὐκείνου στέγον.
ΗΛ. ὦ ξεῖνε, δός νυν, πρὸς θεῶν, εἴπερ τόδε
κέκευθεν αὐτὸν τεῦχος, ἐς χεῖρας λαβεῖν,
ὅπως ἐμαυτὴν καὶ γένος τὸ πᾶν ὁμοῦ
ξὺν τῇδε κλαύσω κἀποδύρωμαι σποδῷ.

ἐσθλᾷ: quidam neutram præpositionem habent. Supra, 1056. ὅταν ἐν κακοῖς ἤδη βεβήκῃς.

1097. τᾷ Διός. Sic libri omnes veteres. Triclinii imperita audacia Ζηνὸς substituit, pessum dato metro.

1102. εὖ θ' ἱκάνεις. Sic codd. omnes, etiam Triclinii recensio. Turnebus tamen edidit εὖ γ'—

1107. Φωκῆς. Vulgo Φωκεῖς. Illud reposuimus etiam infra v. 1442.

1111. ἐφεῖτο. gl. ἐνετείλατο. Vide ad Philoct. 619.

ΟΡ. δόθ', ἥ τις ἐςὶ, προσφέροντες. οὐ γὰρ ὡς
ἐς δυσμενείᾳ γ' οὖσ' ἐπαιτεῖται τάδε·
ἀλλ' ἢ φίλων τις, ἢ πρὸς αἵματος φύσιν.
ΗΛ. ὦ φιλτάτου μνημεῖον ἀνθρώπων ἐμοὶ,
ψυχῆς Ὀρέςου λοιπὸν, ὥς σ' ἀπ' ἐλπίδων,
οὐχ ὧνπερ ἐξέπεμπον, εἰσεδεξάμην.
νῦν μὲν γὰρ οὐδὲν ὄντα βαςάζω χεροῖν·
δόμων δέ σ', ὦ παῖ, λαμπρὸν ἐξέπεμψ' ἐγώ.
ὡς ὤφελον πάροιθεν ἐκλιπεῖν βίον,
πρὶν ἐς ξένην σε γαῖαν ἐκπέμψαι, χεροῖν
κλέψασα ταῖνδε, κἀνασώσασθαι φόνου,
ὅπως θανὼν ἔκεισο τῇ τόθ' ἡμέρᾳ,
τύμβου πατρῴου κοινὸν εἰληχὼς μέρος.
νῦν δ' ἐκτὸς οἴκων, κἀπὶ γῆς ἄλλης φυγὰς,
κακῶς ἀπώλου, σῆς κασιγνήτης δίχα·
κοὔτ' ἐν φίλῃσι χερσὶν ἡ τάλαιν' ἐγὼ
λουτροῖς ἐκόσμησ', οὔτε παμφλέκτου πυρὸς
ἀνειλόμην, ὡς εἰκὸς, ἄθλιον βάρος.
ἀλλ' ἐν ξένῃσι χερσὶ κηδευθεὶς τάλας,
σμικρὸς προσήκεις ὄγκος ἐν σμικρῷ κύτει.
οἴμοι τάλαινα τῆς ἐμῆς πάλαι τροφῆς
ἀνωφελήτου, τὴν ἐγὼ θάμ' ἀμφὶ σοὶ
πόνῳ γλυκεῖ παρέσχον. οὔτε γάρ ποτε
μητρὸς σύ γ' ἦσθα μᾶλλον ἢ κἀμοῦ φίλος·
οὔθ' οἱ κατ' οἶκον ἦσαν, ἀλλ' ἐγὼ τροφός·
ἐγὼ δ' ἀδελφὴ σοὶ προσηυδώμην ἀεί.

1124. τάδε. Sic Aldus et veteres codd. Triclinius substituit τόδε.

1127. ὥς σ' ἀπ' ἐλπίδων. Omissum librariorum errore, ut videtur, pronomen restitui.

1134. ὅπως ἔκεισο, *ut jaceres.* Vide quæ notavimus ad Œd. T. 1392.

1138. φίλῃσι. Sic procul dubio scribi debuit, ut paulo infra ξένῃσι. In codd. φίλαισι. August. tamen φίλοισι, quod ex forma a nobis reposita depravatum videri possit. Vide notam ad Comici Ranas 1211.

1148. ἀδελφὴ σοὶ προσηυδώμην. Sic membr. et alii codd. veteres. Glossa, ὑπὸ σοῦ. Mendose Aldus edidit ἀδελφὴ σή.

νῦν δ' ἐκλέλοιπε ταῦτ' ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ
θανόντα σὺν σοί. πάντα γὰρ ξυναρπάσας,
θύελλ' ὅπως, βέβηκας. οἴχεται πατήρ·
τέθνηκ' ἐγώ σοι. φροῦδος αὐτὸς εἶ θανών·
γελῶσι δ' ἐχθροί· μαίνεται δ' ὑφ' ἡδονῆς
μήτηρ ἀμήτωρ, ἧς ἐμοὶ σὺ πολλάκις
φήμας λάθρα προὔπεμπες, ὡς φανούμενος
τιμωρὸς αὐτός. ἀλλὰ ταῦθ' ὁ δυστυχὴς
δαίμων ὁ σός τε κἀμὸς ἐξαφείλετο,
ὅς σ' ὧδ' ἐμοὶ προὔπεμψεν, ἀντὶ φιλτάτης
μορφῆς, σποδόν τε καὶ σκιὰν ἀνωφελῆ.
οἴ μοι μοι.
ὦ δέμας οἰκτρόν. φεῦ, φεῦ.
ὦ δεινοτάτας, οἴ μοι μοι,
πεμφθεὶς κελεύθους, φίλταθ', ὥς μ' ἀπώλεσας·
ἀπώλεσας δῆτ', ὦ κασίγνητον κάρα.
τοιγὰρ σὺ δέξαι μ' ἐς τὸ σὸν τόδε στέγος,
τὴν μηδὲν, εἰς τὸ μηδὲν, ὡς ξὺν σοὶ κάτω
ναίω τὸ λοιπόν. καὶ γὰρ ἡνίκ' ἦσθ' ἄνω,
ξὺν σοὶ μετεῖχον τῶν ἴσων· καὶ νῦν ποθῶ
τοῦ σοῦ θανοῦσα μὴ 'πολείπεσθαι τάφου.
τοὺς γὰρ θανόντας οὐχ ὁρῶ λυπουμένους.

ΧΟ. θνητοῦ πέφυκας πατρὸς, Ἠλέκτρα, φρόνει·

1150. θανόντα σὺν σοί. Aldus et plerique codd. θανόντι. Alterum habet meus: et a prima manu D. præter Triclinii recensionem, quod præfero. Euripides Herc. Fur. 69. Καὶ νῦν ἐκεῖνα μὲν θανόντ' ἀνέπτατο. Idem Temenidis:—κακοῖσι δὲ Ἄπαντα φροῦδα συνθανόντ' ὑπὸ χθονός.

1160. In digerendis tribus his versiculis Aldinam secutus sum, cui concinunt codd. veteres plerique. In D. aliter digesti sunt, ut videtur quidem, haud deterius, Οἴ μοι μοι· δέμας οἰκτρόν· φεῦ, φεῦ. Ὦ δεινοτάτας, οἴ μοι μοι, Dimetri anapæstici sunt, quorum alter parœmiacus.

1168. ξὺν σοί. Sic Aldus et codd. omnes, etiam Triclinii recensio. Turnebus tamen edidit ξὺν τοὶ, quem errorem nullus subsequentium editorum correxit. Vide supra ad v. 378.

θνητὸς δ' Ὀρέστης· ὥστε μὴ λίαν στένε.
πᾶσιν γὰρ ἡμῖν τοῦτ' ὀφείλεται παθεῖν.
ΟΡ. φεῦ, φεῦ. τί λέξω; ποῖ, λόγων ἀμηχανῶν,
ἔλθω; κρατεῖν γὰρ οὐκ ἔτι γλώσσης σθένω.
ΗΛ. τί δ' ἔσχες ἄλγος; πρὸς τί τοῦτ' εἰπὼν κυρεῖς;
ΟΡ. ἦ σὸν τὸ κλεινὸν εἶδος Ἠλέκτρας τόδε;
ΗΛ. τόδ' ἔστ' ἐκεῖνο, καὶ μάλ' ἀθλίως ἔχον.
ΟΡ. οἴμοι ταλαίνης ἆρα τῆσδε συμφορᾶς.
ΗΛ. τί δή ποτ', ὦ ξέν', ἀμφ' ἐμοὶ στένεις τάδε;
ΟΡ. ὦ σῶμ' ἀτίμως κἀθέως ἐφθαρμένον.
ΗΛ. οὔ τοι ποτ' ἄλλην ἢ 'μὲ δυσφημεῖς, ξένε.
ΟΡ. φεῦ τῆς ἀνύμφου δυσμόρου τε σῆς τροφῆς.
ΗΛ. τί δή ποτ', ὦ ξέν', ὧδ' ἐπισκοπῶν στένεις;
ΟΡ. ὡς οὐκ ἄρ' ᾔδη τῶν ἐμῶν οὐδὲν κακῶν.
ΗΛ. ἐν τῷ διέγνως τοῦτο τῶν εἰρημένων;
ΟΡ. ὁρῶν σε πολλοῖς ἐμπρέπουσαν ἄλγεσι.
ΗΛ. καὶ μὴν ὁρᾷς γε παῦρα τῶν ἐμῶν κακῶν.
ΟΡ. καὶ πῶς γένοιτ' ἂν τῶνδ' ἔτ' ἐχθίω βλέπειν;
ΗΛ. ὁθ' οὕνεκ' εἰμὶ τοῖς φονεῦσι σύντροφος.
ΟΡ. τοῖς τοῦ; πόθεν τοῦτ' ἐξεσήμηνας κακόν;
ΗΛ. τοῖς πατρός. εἶτα τοῖσδε δουλεύω βίᾳ.
ΟΡ. τίς γάρ σ' ἀνάγκη τῇδε προτρέπει βροτῶν;
ΗΛ. μήτηρ καλεῖται· μητρὶ δ' οὐδὲν ἐξισοῖ.
ΟΡ. τί δρῶσα; πότερα χερσὶν, ἢ λύμῃ βίου;
ΗΛ. καὶ χερσὶ, καὶ λύμαισι, καὶ πᾶσιν κακοῖς.
ΟΡ. οὐδ' οὑπαρήξων, οὐδ' ὁ κωλύσων πάρα;
ΗΛ. οὐ δῆθ'. ὃς ἦν γάρ μοι, σὺ προὔθηκας σποδόν.

1174. ἀμηχανῶν participium est. Perperam pro nomine acceptum fuit, accentu secus ac oportuerat notato. In C. recte scriptum ἀμηχανῶν.

1185. ᾔδη. Perperam vulgo ᾔδειν.

1186. ἐν abundat, ut supra, 1141. et passim.

1189. τῶνδ' ἔτ' ἐχθίω. Sic liquido scriptum in meo codice, ut scribi debuisse monuit Canterus, quod nemo non videre poterat. Male vulgo τῶνδέ τ' ἐχθίω.

1194. ἐξισοῖ neutrum significatione passiva, ut Œd. T. 425.

ΟΡ. ὦ δύσποτμ', ὡς ὁρῶν σ' ἐποικτείρω πάλαι.
ΗΛ. μόνος βροτῶν νυν ἴσθ' ἐποικτείρας ποτέ.
ΟΡ. μόνος γὰρ ἥκω τοῖσι σοῖς ἀλγῶν κακοῖς.
ΗΛ. οὐ δή ποθ' ἡμῖν ξυγγενὴς ἥκεις ποθέν;
ΟΡ. ἐγὼ φράσαιμ' ἄν, εἰ τὸ τῶνδ' εὔνουν πάρα.
ΗΛ. ἀλλ' ἐστὶν εὔνουν, ὥστε πρὸς πιστὰς ἐρεῖς.
ΟΡ. μέθες τόδ' ἄγγος νῦν, ὅπως τὸ πᾶν μάθῃς.
ΗΛ. μὴ δῆτα, πρὸς θεῶν, τοῦτό μ' ἐργάσῃ, ξένε.
ΟΡ. πιθοῦ λέγοντι, κοὐχ ἁμαρτήσει ποτέ.
ΗΛ. μή, πρὸς γενείου, μὴ 'ξέλῃ τὰ φίλτατα.
ΟΡ. οὔ φημ' ἐάσειν.
ΗΛ. ὦ τάλαιν' ἐγὼ σέθεν,
Ὀρέστα, τῆς σῆς εἰ στερήσομαι ταφῆς.
ΟΡ. εὔφημα φώνει. πρὸς δίκης γὰρ οὐ στένεις.
ΗΛ. πῶς τὸν θανόντ' ἀδελφὸν οὐ δίκῃ στένω;
ΟΡ. οὔ σοι προσήκει τήνδε προσφωνεῖν φάτιν.
ΗΛ. οὕτως ἄτιμός εἰμι τοῦ τεθνηκότος;
ΟΡ. ἄτιμος οὐδενὸς σύ· τοῦτο δ' οὐχὶ σόν.
ΗΛ. εἴπερ γ' Ὀρέστου σῶμα βαστάζω τόδε.
ΟΡ. ἀλλ' οὐκ Ὀρέστου, πλὴν λόγῳ γ' ἠσκημένον.
ΗΛ. ποῦ δ' ἔστ' ἐκείνου τοῦ ταλαιπώρου τάφος;
ΟΡ. οὐκ ἔστι. τοῦ γὰρ ζῶντος οὐκ ἔστιν τάφος.
ΗΛ. πῶς εἶπας, ὦ παῖ;
ΟΡ. ψεῦδος οὐδὲν ὧν λέγω.
ΗΛ. ἦ ζῇ γὰρ ὡνήρ;
ΟΡ. εἴπερ ἔμψυχός γ' ἐγώ.
ΗΛ. ἦ γὰρ σὺ κεῖνος;
ΟΡ. τήνδε προσβλέψασ' ἐμοῦ
σφραγῖδα πατρὸς, ἔκμαθ' εἰ σαφῆ λέγω.

1200. ἐποικτείρας ποτέ. In D. ἐμέ.

1206. τοῦτό μ' ἐργάσῃ. gl. μὴ ποιήσῃς τοῦτο ἐμέ. Vide supra ad v. 385.

1207. πιθοῦ. Vulgo πίθου. Vide supra ad v. 1015.

1221. ἦ ζῇ γὰρ ὡνήρ; Perperam vulgo ἀνήρ. In D. liquido scriptum ὡνήρ.

ΗΛ. ὦ φίλτατον φῶς.
ΟΡ. φίλτατον, ξυμμαρτυρῶ.
ΗΛ. ὦ φθέγμ᾽, ἀφίκου;
ΟΡ. μηκέτ᾽ ἄλλοθεν πύθῃ.
ΗΛ. ἔχω σε χερσίν;
ΟΡ. ὡς τὰ λοιπ᾽ ἔχοις ἀεί.
ΗΛ. ὦ φίλταται γυναῖκες, ὦ πολίτιδες,
ὁρᾶτ᾽ Ὀρέστην τόνδε, μηχαναῖσι μὲν
θανόντα, νῦν δὲ μηχαναῖς σεσωσμένον.
ΧΟ. ὁρῶμεν, ὦ παῖ, κἀπὶ συμφοραῖσί μοι
γεγηθὸς ἕρπει δάκρυον ὀμμάτων ἄπο.
ΗΛ. ἰὼ γοναί, στροφὴ α΄.
γοναὶ σωμάτων ἐμοὶ φιλτάτων,
ἐμόλετ᾽ ἀρτίως,
ἐφεύρετ᾽, ἤλθετ᾽, εἴδεθ᾽ οὓς ἐχρῄζετε.
ΟΡ. πάρεσμεν· ἀλλὰ σῖγ᾽ ἔχουσα πρόσμενε.
ΗΛ. τί δ᾽ ἔστι;
ΟΡ. σιγᾶν ἄμεινον, μή τις ἔνδοθεν κλύῃ.
ΗΛ. ἀλλ᾽, οὐ μὰ τάν γ᾽ ἀδμήταν αἰὲν Ἄρτεμιν, τρέφε β΄.

1226. ὡς τὰ λοίπ᾽ ἔχοις ἀεί. Perperam Aldus ἔχεις, ut codd. plerique: in quibusdam ἔχῃς. Votum hoc est, et optativus omnino requiritur.

1230. συμφορὰ vox est media, quæ in utramque partem accipitur. Eustathius ad Homerum p. 647. συμφορὰ, οὐ μόνον ἀποτρόπαιος, ἀλλὰ καὶ ἀγαθὴ, ὡς δηλοῖ σὺν ἄλλοις καὶ ὁ εἰπὼν ἐπ᾽ ἀγαθῷ τὸ, Ἐπὶ συμφοραῖς γεγηθὸς ἕρπει δάκρυον ὀμμάτων ἄπο. Alibi ξυμφορὰ absque ullo ad bonam seu malam fortunam respectu, nihil aliud quam ἀπόβασιν significat, ut Œd. Tyr. 44. ubi sententia est non multum absimilis hujus apud Thucydidem i. 140. ἐνδέχεται γὰρ τὰς ξυμφορὰς τῶν πραγμάτων οὐχ ἧσσον ἀμαθῶς χωρῆσαι, ἢ καὶ τὰς διανοίας τοῦ ἀνθρώπου.

1233. Vox γοναὶ in membr. E. meo, geminata, in aliis, ut in Aldina, semel tantum posita est.

1239. In Aldina legitur, ut in plerisque codd. ἀλλ᾽ οὐ τὰν Ἄρτεμιν τὰν αἰὲν ἀδμήταν. In aliis ἀλλ᾽ οὐ μὰ τὰν Ἄρτεμιν τὰν αἰὲν ἀδμήταν. Luxati pedes versus, qui debet esse trimeter iambicus, cujusque in fine ἀδμήταν stare non potest. Proinde legendum: Ἀλλ᾽ οὐ μὰ τάν γ᾽ ἀδμήταν αἰὲν Ἄρτεμιν. αν accusativi nominum primæ declinationis corripiunt Dores, quorum dialecto utuntur in melicis Tragicis.

τόδε μὲν οὔ ποτ᾽ ἀξιώσω τρέσαι,
περισσὸν ἄχθος ἔνδον
γυναικῶν ὂν αἰεί.
ΟΡ. ὅρα γε μὲν δὴ, κἀν γυναιξὶν ὡς Ἄρης
ἔνεστιν· εὖ δ᾽ ἔξοισθα πειραθεῖσά που.
ΗΛ. ὀτοτοτοτοί. στροφὴ γ΄.
ἀνέφελον ἐπέβαλες
οὔ ποτε καταλύσιμον,
οὐδέποτε λησόμενον
. . . .
ἁμέτερον
οἷον ἔφυ κακόν.
ΟΡ. ἔξοιδα καὶ ταῦτ᾽· ἀλλ᾽ ὅταν παρουσία
φράζῃ, τότ᾽ ἔργων τῶνδε μεμνῆσθαι χρεών.
ΗΛ. ὁ πᾶς ἐμοὶ ἀντιστρ. α΄.
ὁ πᾶς ἂν πρέποι παρὼν ἐννέπειν
τάδε δίκᾳ χρόνος.
μόλις γὰρ ἔσχον νῦν ἐλεύθερον στόμα.
ΟΡ. ξύμφημι κἀγώ. τοιγαροῦν σώζου τόδε.
ΗΛ. τί δρῶσα;
ΟΡ. οὗ μή ᾽στι καιρὸς, μὴ μακρὰν βούλου λέγειν.
ΗΛ. τίς οὖν ἂν ἀξίαν γε, σοῦ πεφηνότος, ἀντιστρ. β΄.
μεταβάλοιτ᾽ ἂν ὧδε σιγὰν λόγων;
ἐπεί σε νῦν ἀφράστως
ἀέλπτως τ᾽ ἐσεῖδον.
ΟΡ. τότ᾽ εἶδες, ὅτε θεοί μ᾽ ἐπώτρυναν μολεῖν.
. . . .

1252. ἔργων τῶνδε. Sic etiam Triclinii recensio. Operarum errore in Turnebi editione excusum ἔργον. Manifestam mendam propagavit Stephanus.

1260. τίς οὖν ἂν ἀξίαν γε σοῦ πεφηνότος. Sic Aldus et codd. veteres omnes. Fœdum in modum impudens Triclinii audacia hunc versum corrupit.

1264. θεοί μ᾽ ἐπώτρυναν. Aldus et veteres codd. θεοί μ᾽ ὤτρυναν, syllaba deficiente ad versus integritatem. Metrum suffulsit Triclinius putri tibicine, θεοί γέ μ᾽ ὤτρυναν. Excidit, quod toties contigisse vidimus, præpositio verbi compositi. Scripserat Tragicus ἐπώτρυναν, ut paulo infra ἐπῇσσεν.

ΗΛ. . . . . ἀντιστρ. γ'.
ἔφρασας ὑπερτέραν
τᾶς πάρος ἔτι χάριτος,
εἴ σε θεὸς ἐπῶρσεν
ἁμέτερα πρὸς μέλαθρα·
δαιμόνιον
αὐτὸ τίθημ' ἐγώ.
ΟΡ. τὰ μέν, σ' ὀκνῶ χαίρουσαν εἰργάθειν· τὰ δὲ,
δέδοικα λίαν ἡδονῇ νικωμένην.
ΗΛ. ἰὼ χρόνῳ μακρῷ φιλτάταν ὁδὸν
ἐπαξιώσας ὧδ' ἐμοὶ φανῆναι,
μή τοι, πολύστονον ὧδ' ἰδὼν,—
ΟΡ. τί μὴ ποιήσω;
ΗΛ. μή μ' ἀποστερήσῃς
τῶν σῶν προσώπων ἡδονὰν μεθέσθαι.
ΟΡ. ἦ κάρτα κἂν ἄλλοισι θυμοίμην ἰδών.
ΗΛ. ξυναινεῖς;
ΟΡ. τί μὴ οὔ;
ΗΛ. ὦ φίλαι, ἔκλυον ἂν
ἐγὼ οὐδ' ἂν ἤλπισ' αὐδάν.
ἔσχον ὀργὰν ἄναυδον,

1265. Tertiam hanc antistrophen plane exhibeo, ut in Aldina et in veteribus codd. legitur: impudentissime hîc grassata est Triclinii stoliditas: ejus ineptiis bonam chartam commaculare nolo. Excidit versiculus qui primo strophæ respondet, ut quintus excidit versiculus strophæ.

1272. δέδοικα λίαν. Sic libri veteres omnes. Triclinius infersit σε, ratus scilicet primam in λίαν necessario corripi, quæ apud Tragicos passim producitur, et apud Comicos etiam. Antiphanes apud Stobæum Floril. Grotii p. 321. Τί φής; λαθεῖν ζητῶν τι, πρὸς γυναῖκ' ἐρεῖς Τὸ πρᾶγμα; καὶ τί τοῦτο λίαν διαφέρει. Ἡ πᾶσι τοῖς κήρυξιν ἐν ἀγορᾷ φράσαι; Sic legendi hi versus. In sequenti v. Triclinius infersit γε post μακρῷ, invitis veteribus libris.

1275. In D. μή τι πολύστονον. Scriptum oportuit μή τοι. In ceteris libris μή τι με πολύστονον. Haud satis assequor, quænam sit diversa illa lectio, cujus hîc scholiastes meminit. In codd. omnibus scriptum ὧδ' ἰδών. Gl. οὕτως. Si forte quopiam in exemplari scriptum reperit ὧδε 'δὼν, pro ὧδ' ἰδὼν, vitium id fuit scripturæ, quod animadverti dignum non erat.

ὐδὲ σὺν βοᾷ κλύουσα τάλαινα.
νῦν δ᾽ ἔχω σε· προὐφάνης δὲ
φιλτάταν ἔχων πρόσοψιν,
ἃς ἐγὼ ὐδ᾽ ἂν ἐν κακοῖς λαθοίμαν.

ΟΡ. τὰ μὲν περισσεύοντα τῶν λόγων ἄφες,
καὶ μήτε μήτηρ ὡς κακὴ δίδασκ᾽ ἐμὲ,
μήθ᾽ ὡς πατρῴαν κτῆσιν Αἴγισθος δόμων
ἀντλεῖ, τὰ δ᾽ ἐκχεῖ, τὰ δὲ διασπείρει μάτην.
χρόνου γὰρ ἄν σοι καιρὸν ἐξείργοι λόγος.
ἃ δ᾽ ἁρμόσει μοι τῷ παρόντι νῦν χρόνῳ,
σήμαιν᾽, ὅπᴕ φανέντες, ἢ κεκρυμμένοι,
γελῶντας ἐχθροὺς παύσομεν τῇ νῦν ὁδῷ.
οὕτως δ᾽, ὅπως μήτηρ σε μὴ 'πιγνώσεται
φαιδρῷ προσώπῳ, νῷν ἐπελθόντοιν δόμους·
ἀλλ᾽ ὡς ἐπ᾽ ἄτῃ τῇ μάτην λελεγμένῃ
στέναζ᾽. ὅταν γὰρ εὐτυχήσωμεν, τότε
χαίρειν παρέσται, καὶ γελᾷν ἐλευθέρως.

ΗΛ. ἀλλ᾽, ὦ κασίγνηθ᾽, ὧδ᾽ ὅπως καὶ σοὶ φίλον,
καὶ τὐμὸν ἔσται τῇδ᾽· ἐπεὶ τὰς ἡδονὰς,
πρὸς σῦ λαβῦσα, κὐκ ἐμὰς, ἐκτησάμην.
κὐδ᾽ ἄν σε λυπήσασα βουλοίμην βραχὺ
αὐτὴ μέγ᾽ εὑρεῖν κέρδος. ὐ γὰρ ἂν καλῶς
ὑπηρετοίμην τῷ παρόντι δαίμονι.
ἀλλ᾽ οἶσθα μὲν τἀνθένδε, πῶς γὰρ ὔ; κλύων
ὅθ᾽ οὕνεκ᾽ Αἴγισθος μὲν ὐ κατὰ στέγας,
μήτηρ δ᾽ ἐν οἴκοις· ἣν σὺ μὴ δείσῃς ποθ᾽, ὡς
γέλωτι φαιδρὸν τὐμὸν ὄψεται κάρα.
μῖσός τε γὰρ παλαιὸν ἐντέτηκ᾽ ἐμοί·

1292. ἐξείργοι. Sic codd. omnes nostri. Suidas in Χρόνου πόδα legit ἐξαίροι. E scholiastæ expositione suspicari quis possit eum legisse: Ἔργου γὰρ ἄν σοι καιρὸν ἐξείργοι λόγος.

1294. φανέντες, ἢ κεκρυμμένοι. In D. φανέντες οἱ κεκρυμμένοι.

1296. οὕτως δ᾽—Glossa, σκόπει, ποίει.

1310. γέλωτι φαιδρὸν τοὐμὸν ὄψεται κάρα. Sic Aldus et codd. veteres. In C. inverso vocum ordine, τοὐμὸν φαιδρόν. Triclinius inepte dedit φαιδρῷ.

1311. μῖσος ἐντέτηκ᾽ ἐμοί. Ele-

κἀπεί σ' ἐσεῖδον, οὔ ποτ' ἐκλήξω χαρᾶς
δακρυῤῥοοῦσα. πῶς γὰρ ἂν λήξαιμ' ἐγὼ,
ἥ τις μιᾷ σε τῇδ' ὁδῷ θανόντα τε
καὶ ζῶντ' ἐσεῖδον; εἴργασαι δ' ἔμ' ἄσκοπα·
ὥστ', εἰ πατήρ μοι ζῶν ἵκοιτο, μηκέτ' ἂν
τέρας νομίζειν αὐτὸ, πιστεύειν δ' ὁρᾷν.
ὅτ' οὖν τοιαύτην ἡμὶν ἐξήκεις ὁδὸν,
ἄρχ' αὐτὸς, ὥς σοι θυμός. ὡς ἐγὼ μόνη
οὐκ ἂν δυοῖν ἥμαρτον. ἢ γὰρ ἂν καλῶς
ἔσωσ' ἐμαυτὴν, ἢ καλῶς ἀπωλόμην.

ΟΡ. σιγᾷν ἐπῄνεσ'· ὡς ἐπ' ἐξόδῳ κλύω
τῶν ἔνδοθεν χωροῦντος.

ΗΛ. εἴσιτ', ὦ ξένοι,
ἄλλως τε καὶ φέροντες οἷ' ἂν οὔτε τις
δόμων ἀπώσαιτ', οὔτ' ἂν ἡσθείη λαβών.

ΠΑΙ. ὦ πλεῖστα μῶροι καὶ φρενῶν τητώμενοι,
πότερα παρ' οὐδὲν τοῦ βίου κήδεσθ' ἔτι,
ἢ νοῦς ἔνεστιν οὔ τις ὑμῖν ἐγγενὴς,
ὅτ' οὐ παρ' αὐτοῖς, ἀλλ' ἐν αὐτοῖσιν κακοῖς
τοῖσιν μεγίστοις ὄντες οὐ γιγνώσκετε;
ἀλλ' εἰ σταθμοῖσι τοῖσδε μὴ 'κύρουν ἐγὼ
πάλαι φυλάσσων, ἦν ἂν ὑμῖν ἐν δόμοις
τὰ δρώμεν' ὑμῶν πρόσθεν ἢ τὰ σώματα·
νῦν δ' εὐλάβειαν τῶνδε προὐθέμην ἐγώ.
καὶ νῦν ἀπαλλαχθέντε τῶν μακρῶν λόγων,
καὶ τῆς ἀπλήστου τῆσδε σὺν χαρᾷ βοῆς,
εἴσω παρέλθεθ', ὡς τὸ μὲν μέλλειν, κακὸν
ἐν τοῖς τοιούτοις ἔστ', ἀπηλλάχθαι δ' ἀκμή.

ΟΡ. πῶς οὖν ἔχει τἀντεῦθεν εἰσιόντι μοι;

ΠΑΙ. καλῶς. ὑπάρχει γάρ σε μὴ γνῶναί τινα.

gans metaphora, qua odium aut cupido, tanquam infusa cera, animo adhærere dicitur. Lucianus in morte Peregrini p. 346. τοσοῦτος ἔρως τῆς δόξης ἐντέτηκεν αὐτῷ. Est hæc forma passim usitata: rarior vero inversa, qua animus rei *infundi*, id est, *intabescere* dicitur, ut Trach. 463. εἰ κάρτ' ἐντακείη τῷ φιλεῖν.

ΟΡ. ἤγγειλας, ὡς ἔοικεν, ὡς τεθνηκότα.
ΠΑΙ. εἷς τῶν ἐν Ἅδου μάνθαν' ἐνθάδ' ὢν ἀνήρ.
ΟΡ. χαίρουσιν οὖν τούτοισιν; ἢ τίνες λόγοι;
ΠΑΙ. τελουμένων, εἴποιμ' ἄν· ὡς δὲ νῦν ἔχει,
καλῶς τὰ κείνων πάντα, καὶ τὰ μὴ καλῶς.
ΗΛ. τίς οὗτος ἔστ', ἀδελφέ; πρὸς θεῶν, φράσον.
ΟΡ. οὐχὶ ξυνιεῖς;
ΗΛ. οὐδέ γ' ἐς θυμὸν φέρω.
ΟΡ. οὐκ οἶσθ' ὅτῳ μ' ἔδωκας ἐς χεῖρας ποτέ;
ΗΛ. ποίῳ; τί φωνεῖς;
ΟΡ. οὗ τὸ Φωκέων πέδον
ὑπεξεπέμφθην, σῇ προμηθείᾳ, χεροῖν.
ΗΛ. ἦ κεῖνος οὗτος, ὅν ποτ' ἐκ πολλῶν ἐγὼ
μόνον προσεῦρον πιστὸν ἐν πατρὸς φόνῳ;
ΟΡ. ὅδ' ἐστί. μή μ' ἔλεγχε πλείοσιν λόγοις.
ΗΛ. ὦ φίλτατον φῶς, ὦ μόνος σωτὴρ δόμων
Ἀγαμέμνονος, πῶς ἦλθες; ἦ σὺ κεῖνος εἶ,
ὃς τόνδε κἄμ' ἔσωσας ἐκ πολλῶν πόνων;
ὦ φίλταται μὲν χεῖρες, ἥδιστον δ' ἔχων
ποδῶν ὑπηρέτημα· πῶς οὕτω πάλαι
ξυνών μ' ἔληθες, οὐδ' ἔφαινες; ἀλλ' ἐμὲ
λόγοις ἀπώλλυς, ἔργ' ἔχων ἥδιστ' ἐμοί.
χαῖρ', ὦ πάτερ· πατέρα γὰρ εἰσορᾶν δοκῶ·
χαῖρ'. ἴσθι δ' ὡς μάλιστά σ' ἀνθρώπων ἐγὼ
ἤχθηρα, κἀφίλησ' ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ.
ΠΑΙ. ἀρκεῖν δοκεῖ μοι. τοὺς γὰρ ἐν μέσῳ λόγους
πολλαὶ κυκλοῦσι νύκτες ἡμέραι τ' ἴσαι,
αἳ ταῦτά σοι δείξουσιν, Ἠλέκτρα, σαφῆ.
σφῷν δ' ἐννέπω γε τοῖν παρεστώτοιν, ὅτι
νῦν καιρὸς ἔρδειν· νῦν Κλυταιμνήστρα μόνη·
νῦν οὔ τις ἀνδρῶν ἔνδον· εἰ δ' ἐφέξετον,

1347. ξυνιεῖς. In duobus codd. ξυνίης. in ceteris ξυνίεις.

1365. κυκλοῦσι. Sic Aldus et codd. veteres. Activum verbum neutraliter adhibetur, ut Trach. 130. Triclinius imperite glossam pro genuina voce substituit, κυκλοῦνται.

φροντίζεθ᾽ ὡς τέτοις τε καὶ σοφωτέροις
ἄλλοισι τούτων πλείοσιν μαχέμενοι.

ΟΡ. οὐκ ἂν μακρῶν ἔθ᾽ ἡμὶν ἐδὲν ἂν λόγων,
Πυλάδη, τόδ᾽ εἴη τοὔργον· ἀλλ᾽ ὅσον τάχος
χωρεῖν ἔσω, πατρῷα προσκύσανθ᾽ ἕδη
θεῶν, ὅσοιπερ πρόπυλα ναίουσιν τάδε.

ΗΛ. ἄναξ Ἄπολλον, ἵλεως αὐτοῖν κλύε,
ἐμῦ τε πρὸς τέτοισιν, ἥ σε πολλὰ δὴ,
ἀφ᾽ ὧν ἔχοιμι, λιπαρεῖ πρὔστην χερί.
νῦν δ᾽, ὦ Λύκει᾽ Ἄπολλον, ἐξ οἵων ἔχω,
αἰτῶ, προπιτνῶ, λίσσομαι· γενῦ πρόφρων
ἡμῖν ἀρωγὸς τῶνδε τῶν βουλευμάτων,
καὶ δεῖξον ἀνθρώποισι τἀπιτίμια
τῆς δυσσεβείας οἷα δωρῦνται θεοί.

ΧΟ. Ἴδεθ᾽ ὅπη προνέμεται — στροφή.
τὸ δυσέριστον αἷμα φυσῶν Ἄρης.
βεβᾶσιν ἄρτι δωμάτων ὑπόστεγοι
μετάδρομοι κακῶν πανουργημάτων
ἄφυκτοι κύνες,
ὥστ᾽ ὐ μακρὰν ἔτ᾽ ἀμμένει
τὐμὸν φρενῶν ὄνειρον αἰωρύμενον.
παράγεται γὰρ ἐνέρων — ἀντιστρ.
δολιόπους ἀρωγὸς εἴσω στέγας,
ἀρχαιόπλουτα πατρὸς εἰς ἑδώλια,

1384. ὅπη προνέμεται. Sic bene scriptum in D. Vulgo ὅπυ.

1388. κύνες μετάδρομοι πανουργημάτων sunt Erinnyes, quas Euripides etiam in Electra, 1349. κύνας appellat. Vide notam ad Œd. T. 391.

1389. Ignoravit Triclinius ultimam in μακρὰν longam esse: alioqui non infersisset suum γε. Languidas particulas amabat frutex ille. Supra ubi libri omnes veteres habent βεβᾶσιν ἄρτι, dedit βεβᾶσι δ᾽ ἄρτι.

1393. πατρὸς εἰς ἑδώλια. Antiqua hæc est et genuina lectio a Scholiasta servata, cujus in codd. veteribus locum invasit glossa ἱδράσματα. Vide Suidam in Ἑδώλια, et Toupii Epist. Crit. p. 132. Triclinius veterem lectionem amplexus fuerat: ejus recensio habet ἑδώλια: verum id Turnebus in margine solum adnotavit, servata in contextu Aldi lectione.

νεακόνητον αἷμα χειροῖν ἔχων·
ὁ Μαίας δὲ παῖς

1394. νεακόνητον αἷμα χειροῖν ἔχων. Aldus et codd. veteres χειροῖν reclamante metro, cui consultum voluit Triclinius, sed prava est ejus emendatio χειρῶν. Dativus est χειροῖν, quem casum structuræ lex flagitat. Ante nuperum Sophoclis editorem Parisinum nemini ex omni eruditorum numero adhuc observatum fuerat, probis scriptoribus Græcis displicuisse formam χειροῖν, quæ, si fidem illi habeamus, aut reperitur nuspiam, aut, sicubi occurrit, commutanda est cum χειρῶν vel χερσὶν, quotiescunque metri lex priorem productam requirit. Sed ego tali magistro non ita sum credulus, et χειροῖν Græcæ linguæ non eximam, dum analogiæ ratio potiori auctoritati non cedet. αἷμα hîc *gladium* significare agnoscunt critici veteres omnes, quorum consensus Johnsonum non deterruit, quin locum corruptum esse pronuntiaret, hac emendatione persanandum: νεακόνητον εὖ μάχαιραν ἔχων. Hoc illum voluisse ex ejus versione perspicuum est. ἐν pro εὖ operarum errore excusum fuisse Heathius facile animum advertere poterat, et suam interjectionem αἶ ad compendium ponere. Nihil futilius istis conjecturis, quæ audaci metaphoræ, ab indole chorici cantici, et Sophoclis ingenio neutiquam alienæ, plebeium putidumque sermonem substituunt. At *sermonem* tamen. Verum quo nomine appellabimus versum quem Tragico largitur Parisini editoris solertia? Νεακονῆ τὰν εὖ μάχαιραν ἔχων. Nemo adeo lippus est, quin videat νεακονῆ τὰν εὖ μάχαιραν esse pro τὰν μάχαιραν εὖ νεακονῆ. Similis est structuræ illius apud Comicum nostratem: *d'amour mourir me font, belle marquise, vos beaux yeux.* Illa articuli trajectio huic viro tantum placuit, ut eadem ratione versum restituerit in Aristophanis Acharn. 318. Ὑπὲρ ἐπιξήνου θελήσω τὴν ἔχων κεφαλὴν λέγειν. Scilicet decebat ut hominis Britanni invento aliquid novi superinduceret, quod aliter facere non poterat, nisi νεακόνητον haud magis Græcum esse decerneret, quam χειροῖν. Quis risum teneat, quum hujusmodi homunciones Sophoclem Græce loqui docent? Legi digna sunt quæ de hoc loco scripsit Vir doctus in Miscell. Observ. tom. i. p. 416. Græce dicitur νεηκονὴς et νεηκόνητος, eadem analogia, qua ἀταρβὴς, ἀτάρβητος: ἀδμὴς, ἄδμητος: ἀνωφιλὴς, ἀνωφέλητος: ἀμφινικὴς, ἀμφινίκητος: ἀναλγὴς, ἀνάλγητος: et alia geminæ formæ vocabula, quæ apud hunc Tragicum et passim occurrunt. Metonymia est, similis illi in Phil. 1125. χερὶ πάλλων τὰν ἐμὰν μελέου τροφὰν, τὰν οὐδείς ποτ' ἐβάστασεν. Utroque in loco is qui efficit, *gladius*, *arcus*, ex eo quid efficitur, *sanguine*, id est, cæde; *alimento*, id est, confixis feris, avibus, quorum carne vescebatur Philocteta, declaratur. Non alius in hoc dramate pulchrior est versus, nec qualiscunque mendæ magis purus. Qui ei alium substituere non

Ἑρμῆς σφ' ἄγει, δόλον σκότῳ
κρύψας, πρὸς αὐτὸ τέρμα, κοὐκ ἔτ' ἀμμένει.
ΗΛ. Ὦ φίλταται γυναῖκες, ἅνδρες αὐτίκα
τελοῦσι τοὔργον· ἀλλὰ σῖγα πρόσμενε.
ΧΟ. πῶς δή; τί νῦν πράσσουσιν;
ΗΛ. ἡ μὲν ἐς τάφον
λέβητα κοσμεῖ, τὼ δ' ἐφέστατον πέλας.
ΧΟ. σὺ δ' ἐκτὸς ἦξας πρὸς τί;
ΗΛ. φρουρήσουσ' ὅπως
Αἴγισθος ἡμᾶς μὴ λάθῃ μολὼν ἔσω.
ΚΛ. αἲ αἲ αἲ αἶ. ἰὼ στέγαι
φίλων ἔρημοι, τῶν δ' ἀπολλύντων πλέαι.
ΗΛ. βοᾷ τις ἔνδον. οὐκ ἀκούετ', ὦ φίλαι;
ΧΟ. ἤκουσ' ἀνήκουστα στροφὴ α'.
δύστανος, ὥστε φρῖξαι.
ΚΛ. οἴ μοι τάλαιν'. Αἴγισθε, ποῦ ποτ' ὢν κυρεῖς;
ΗΛ. ἰδοὺ μάλ' αὖ θροεῖ τις.
ΚΛ. ὦ τέκνον, τέκνον,
οἴκτειρε τὴν τεκοῦσαν.
ΗΛ. ἀλλ' οὐκ ἐκ σέθεν
ᾠκτείρεθ' οὗτος, οὐθ' ὁ γεννήσας πατήρ.
ΧΟ. ὦ πόλις, ὦ γενεὰ τάλαινα· νῦν σε στροφὴ β'.
μοῖρα καθημερία φθίνει, φθίνει.
ΚΛ. ὤ μοι πέπληγμαι.
ΗΛ. παῖσον, εἰ σθένεις, διπλῆν.

veriti sunt, cogitare saltem debebant, ut subdititius genuinæ indolis præ se ferret quidpiam. Verum si quis Sophoclem interrogaret, an pro suo versum hunc agnoscat, Νικκόνετον τὼ μάχαιραν ἔχων, vel, si Diis placet, istum, Νικκονῆ τὰν τὼ μάχαιραν ἔχων, exclamaret procul dubio: *Aliter catuli longe olent, aliter sues.*

1398. ὥνδρες, id est οἱ ἄνδρες. Perperam vulgo indefinite ἄνδρες.

1403. In codd. omnibus veteribus, ut in Aldina, pede mancus est hic versus: Αἴγισθος μὴ λάθῃ μολὼν ἔσω. Triclinius ex conjectura αὐτὸς supplevit; melius, ut opinor, ego ἡμᾶς.

1414. καθημερία. gl. κατὰ τὴν παροῦσαν ἡμέραν. In Triclinii recensione Dorica est forma καθαμερία.—φθίνει, φθίνει. Vox repetenda, in Aldina et codd. aliquot semel tantum posita est.

ΚΛ. ὤ μοι μάλ' αὖθις.
ΗΛ. εἰ γὰρ Αἰγίσθῳ θ' ὁμοῦ.
ΧΟ. τελοῦσ' ἀραί· ζῶσιν οἱ — στροφὴ γ'.
γᾶς ὕπαι κείμενοι.
πολύῤῥυτον γὰρ αἷμ' ὑπεξ-
αιροῦσι τῶν κτανόντων
οἱ πάλαι θανόντες.
ΗΛ. καὶ μὴν πάρεισιν οἵδε· φοινία δὲ χεὶρ
στάζει θυηλῆς Ἄρεος. οὐδ' ἔχω λέγειν,
Ὀρέστα, πῶς κυρεῖ.
ΟΡ. τά γ' ἐν δόμοισι μὲν,
καλῶς, Ἀπόλλων εἰ καλῶς ἐθέσπισε.
τέθνηκεν ἡ τάλαινα. μηκέτ' ἐκφοβοῦ
μητρῷον ὥς σε λῆμ' ἀτιμάσει ποτέ.
ΧΟ. παύσασθε. λεύσσω γὰρ — ἀντιστρ. α'.
Αἴγισθον ἐκ προδήλου.
ΗΛ. ὦ παῖδες, οὐκ ἄψοῤῥον;
ΟΡ. εἰσορᾶτέ που

1416. *εἰ γὰρ, utinam.* εἰ in hac formula valet εἴθε. Vide ad Œd. T. 80. εἰ etiam sine γὰρ eamdem significationem habet, ut Œd. Col. 644. *εἴ μοι θέμις γ' ἦν, utinam mihi liceret!*

1417. τελοῦσ' ἀραί. Aldus et veteres codd. τελοῦσιν contra metri rationem. Iidem in seq. vers. dant γᾶς ὑποκείμενοι, quod metro itidem repugnat. Vide infra ad v. 1438.

1424. In Aldina et in veteribus codd. sic scriptus est hic versus: Ὀρέστα, πῶς κυρεῖ. τἀν δόμοισι μέν. Deficientem syllabam Triclinius haud magno labore supplevit, πῶς κυρεῖ γε. Verum inficete prorsus particulam posuit in fine sententiæ. Commodiori sede eam locavi: τά γ' ἐν δόμοισι μὲν—

1427. ὡς ἀτιμάσει. Sic membr. D. E. August. meus, et Triclinii etiam recensio recte. In impressis perperam ut in C. ἀτιμάσῃ, ὡς hic cum futuro indicativi construi debet, ut supra, 1310. —ἣν σὺ μὴ δείσῃς ποθ', ὡς Γέλωτι φαιδρὸν τοὐμὸν ὄψεται κάρα. Utroque in loco glossa ὡς exponit per ὅτι, unde intelligitur sequens verbum non alius modi esse posse, quam indicativi.

1430. In Aldina hic versus totus et sequentes duo Electræ partibus contribuuntur. Personarum distinctionem restitui, quam liquido exhibent quinque codd. C. D. E. meus et Triclinianus. Consentit August. nisi quod errore librarii Electræ persona omissa est quæ versui

τὸν ἄνδρ' ἐφ' ἡμῖν;

ΗΛ. οὗτος ἐκ προαστίου

χωρεῖ γεγηθώς . . . .

. . . .

ΧΟ. βᾶτε κατ' ἀντιθύρων ὅσον τάχιστα. ἀντιστρ. β'.

νῦν τὰ πρὶν εὖ θέμενοι, τάδ' ὡς πάλιν —

ΟΡ. θάρσει· τελοῦμεν ᾗ νοεῖς.

ΗΛ. ἐπειγέ νυν.

ΟΡ. καὶ δὴ βέβηκα.

ΗΛ. τἀνθάδ' ἂν μέλοιτ' ἐμοί.

ΧΟ. δι' ὠτὸς ἂν παῦρά γ' ὡς ἀντιστρ. γ'.

ἠπίως ἐννέπειν

πρὸς ἄνδρα τόνδε συμφέροι,

λαθραῖον ὡς ὀρούσῃ

πρὸς δίκας ἀγῶνα.

ΑΙΓΙΣΘΟΣ.

τίς οἶδεν ὑμῶν, ποῦ ποθ' οἱ Φωκῆς ξένοι,

1430. præfigi debuit. In omnibus scriptum ἐφ' ἡμῖν, ut manifestum est Oresten dicere debere; et sic etiam scriptum est in membr. tametsi Orestis persona suo loco omissa est. Aldus ex mera conjectura ἐφ' ὑμῖν dedisse videtur, quod Turnebus, deteriora quæque probare suetus, bonæ codicis sui scripturæ prætulit. Parisino quoque editori *ὑμῖν melius videtur*, quod profecto non miror.

1431. ἐκ προαστίου. Sic bene Aldus. In codd. perperam scriptum προαστείου, quod Heathius reponi vult: at ostendere oblitus est qui in fine senarii stare hoc possit. In membr. sincera lectio mendosæ superscripta. Vide Suidam in Προάστιον. Euripides Alcest. 848. Τύμβον κατόψει ξεστὸν ἐκ προαστίου.

1436. μέλοιτ' ἐμοί. Sic Aldus et codd. omnes veteres. Glossa, διὰ φροντίδος ἂν εἴη ἐμοί. Triclinius novavit μέλοι γ' ἐμοί.

1438. ὡς ἠπίως. Sic Aldus et codd. omnes veteres recte. Gl. λίαν πρᾴως. Versus dimeter est pæonicus duobus constans creticis, ad cujus normam antitheticum in stropha reconcinnavimus, Γᾶς ὕπαι κείμενοι: in quo ex librarii libidine legebatur γᾶς ὑποκείμενοι: quod Triclinius quum sincerum esse arbitraretur, ut metra congruerent, hujus versiculi lectionem interpolavit, et pro suo more corrupit, sensumque plane subvertit. Nempe ἤπιον veteri lectioni substituit. Hujus ἠπίως aliam depravationem in libris exstitisse testatur Scholiastes, νηπίως, quod vitiosa nuce nemo emerit, nisi νήπιος ipse sit.

οὓς φασ᾽ Ὀρέστην ἡμὶν ἀγγεῖλαι βίον
λελοιπόθ᾽ ἱππικοῖσιν ἐν ναυαγίοις;
σέ τοι, σὲ κρίνω, ναὶ σὲ, τὴν ἐν τῷ πάρος
χρόνῳ θρασεῖαν· ὡς μάλιστά σοι μέλειν
οἶμαι, μάλιστα δ᾽ ἂν κατειδυῖαν φράσαι.
ΗΛ. ἐξοιδα. πῶς γὰρ οὐχί; συμφορᾶς γὰρ ἂν
ἔξωθεν εἴην τῶν ἐμῶν τῆς φιλτάτης.
ΑΙ. ποῦ δῆτ᾽ ἂν εἶεν οἱ ξένοι; δίδασκ᾽ ἐμέ.
ΗΛ. ἔνδον. φίλης γὰρ προξένου κατήνυσαν.
ΑΙ. ἦ καὶ θανόντ᾽ ἤγγειλαν ὡς ἐτητύμως;
ΗΛ. οὔκ· ἀλλὰ κἀπέδειξαν, οὐ λόγῳ μόνον.
ΑΙ. πάρεστ᾽ ἄρ᾽ ἡμῖν, ὥστε κἀμφανῆ μαθεῖν.
ΗΛ. πάρεστι δῆτα, καὶ μάλ᾽ ἄζηλος θέα.
ΑΙ. ἦ πολλὰ χαίρειν μ᾽ εἶπας, οὐκ εἰωθότως.
ΗΛ. χαίροις ἄν, εἴ σοι χαρτὰ τυγχάνει τάδε.
ΑΙ. σιγᾶν ἄνωγα, κἀναδεικνύναι πύλας
πᾶσιν Μυκηναίοισιν Ἀργείοις θ᾽ ὁρᾶν,
ὡς, εἴ τις αὐτῶν ἐλπίσιν κεναῖς πάρος
ἐξῄρετ᾽ ἀνδρὸς τοῦδε, νῦν ὁρῶν νεκρὸν,
στόμια δέχηται τἀμὰ, μηδὲ πρὸς βίαν,
ἐμοῦ κολαστοῦ προστυχὼν, φύσῃ φρένας.
ΗΛ. καὶ δὴ τελεῖται τἀπ᾽ ἐμοῦ. τῷ γὰρ χρόνῳ
νοῦν ἔσχον, ὥστε συμφέρειν τοῖς κρείσσοσιν.

1445. σέ τοι, σὲ κρίνω, ναὶ σὲ— Libri omnes καὶ σὲ, menda manifesta. Unicam Electram percontatur; proinde copulæ non est locus. Acute Reiskius vidit ναὶ legendum esse.

1451. φίλης προξένου κατήνυσαν. Elliptica locutio, pro κατήνυσαν τὴν ὁδὸν εἰς φίλης προξένου οἶκον. Vide ad Œd. Col. 1562.

1456. χαίρειν μ᾽ εἶπας. In plerisque veteribus libris pronomen omissum.

1461. ἀνδρὸς τοῦδε, *Orestis*. Jungendi hi genitivi cum ἐλπίσιν, non vero cum νεκρόν. Perperam in impressis hic locus distinctus est. Quæ sequuntur, μηδὲ πρὸς βίαν φύσῃ φρένας, προστυχὼν ἐμοῦ κολαστοῦ significant: *neque ingratiis sapere discat, castigatorem me nactus.* Ista Latine et Gallice vertit Parisinus editor, et in utraque lingua a sensu aberravit, πρὸς βίαν, quod ad φύσῃ pertinet, cum κολαστοῦ jungens. Vide quæ notavimus ad Comici Ranas 1457.

1465. Perperam in impressis τοῖς κρείττοσιν.

ΑΙ. ὦ Ζεῦ, δέδορκα φάσμ', ἄνευ φθόνου μὲν, εὖ
πεπτωκός· εἰ δ' ἔπεστι Νέμεσις, οὐ λέγω.
χαλᾶτε πᾶν κάλυμμ' ἀπ' ὀφθαλμῶν, ὅπως
τὸ συγγενές τοι κἀπ' ἐμοῦ θρήνων τύχῃ.
ΟΡ. αὐτὸς σὺ βάσταζ'. οὐκ ἐμὸν τόδ', ἀλλὰ σὸν,
τὸ ταῦθ' ὁρᾶν τε, καὶ προσηγορεῖν φίλως.
ΑΙ. ἀλλ' εὖ παραινεῖς, κἀπιπείσομαι· σὺ δὲ,
εἴ που κατ' οἶκόν μοι Κλυταιμνήστρα, κάλει.
ΟΡ. αὕτη πέλας σοῦ. μηκέτ' ἄλλοσε σκόπει.
ΑΙ. οἴμοι, τί λεύσσω;
ΟΡ. τίνα φοβῇ; τίν' ἀγνοεῖς;
ΑΙ. τίνων ποτ' ἀνδρῶν ἐν μέσοις ἀρκυστάτοις
πέπτωχ' ὁ τλήμων;
ΟΡ. οὐ γὰρ αἰσθάνῃ πάλαι
ζῶντας θανοῦσιν οὕνεκ' ἀνταυδᾷς ἴσα;
ΑΙ. οἴμοι, ξυνῆκα τοὔπος. οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπως
ὅδ' οὐκ Ὀρέστης ἔσθ' ὁ προσφωνῶν ἐμέ.

1466. Absurde vulgo legitur: δέδορκα φάσμ' ἄνευ φθόνου μὲν, οὐ πεπτωκός. Levissima mutatione sententiam restituit acutissimi Tyrwhitti certa conjectura. Vide Emendationes in Euripidem, Musgravii Exercitationibus subjunctas p. 145. vel, quod perinde est, Musgravii notas ad Rhesi v. 546. φθόνος et Νέμεσις idem significant, ut in simili formula τὴν Νέμεσιν προσκυνῶ, de qua vide Berglerum ad Alciphronem p. 139. et τὸν φθόνον δὲ πρόσκυσον apud Nostrum Philoct. 776. Perinde est igitur ac si dixisset: δέδορκα φάσμα εὖ πεπτωκὸς, λέγω μὲν ἄνευ φθόνου· εἰ δ' ἔπεστι φθόνος, οὐ λέγω. Egregia hac emendatione nihil verius.

1469. τὸ συγγενές τοι. Sic meus et D. recte. In aliis, ut apud Aldum, mendose τι, cujus loco Triclinius supposuit γε.

1471. προσηγορεῖν φίλως, compellare amice, ut cognatum decet. Aldus et veteres codd. habent φίλος. In plerisque vocandi adverbium ὦ superscriptum glossæ loco. Sane quidem φίλος sæpissime Attici in vocativo adhibent, ut Euripides in Med. 1133. ἀλλὰ μὴ σπέρχου, φίλος. Verum hic mendosum est. Præstat Triclinii lectio φίλως, ut in Œd. Col. 758. τήνδε τὴν πόλιν φίλως εἰπών.

1478. Vulgo ζῶν τοῖς θανοῦσιν absque ullo sensu. Rursus hic Tragico egregiam operam navavit Tyrwhitti acumen, cui debetur emendatio, quam merito suo recepimus. *Non sentis te dudum cum viventibus quasi mortuis confabulari?* id est, *cum Oreste vivente, quem mortuum opinaris.*

ΟΡ. καὶ μάντις ὢν ἄριστος ἐσφάλλου πάλαι.
ΑΙ. ὄλωλα δὴ δείλαιος. ἀλλ' ἐμοὶ πάρες
κἂν σμικρὸν εἰπεῖν.
ΗΛ. μὴ πέρα λέγειν ἔα,
πρὸς θεῶν, ἀδελφέ, μηδὲ μηκύνειν λόγους.
τί γὰρ βροτῶν ἂν ξὺν κακοῖς μεμιγμένων
θνήσκειν ὁ μέλλων τοῦ χρόνου κέρδος φέροι;
ἀλλ' ὡς τάχιστα κτεῖνε, καὶ κτανὼν πρόθες
ταφεῦσιν, ὧν τόνδ' εἰκός ἐστι τυγχάνειν,
ἄποπτον ἡμῶν. ὡς ἐμοὶ τόδ' ἂν κακῶν
μόνον γένοιτο τῶν πάλαι λυτήριον.
ΟΡ. χωροῖς ἂν εἴσω ξὺν τάχει. λόγων γὰρ οὐ
νῦν ἐστιν ἁγών, ἀλλὰ σῆς ψυχῆς πέρι.
ΑΙ. τί δ' ἐς δόμους ἄγεις με; πῶς, τόδ' εἰ καλὸν

1481. ἐσφάλλου. Sic emendate scriptum in membr. ut in Triclinii recensione. In ceteris libris perperam ἐσφάλου.

1485. Haud dissimilis sententia in Aj. v. 475. In Aldina et codd. omnibus legitur μεμιγμένων ita postulante sententia. Nescio quo casu, aut qua imperitia Triclinius dederit μεμιγμένον, quod quidem *melius putat* Parisinus editor: verum eo certius videri possit mendosum id esse. Genitivus βροτῶν pendet a suppresso τις. ὁ μέλλων τις θνήσκειν τῶν σὺν κακοῖς μεμιγμένων βροτῶν. Nihil planius.

1488. ταφεῦσιν. Ironice. Id facere jubet Electra, quod facturum fuisse Menelaum Nestor apud Homerum dicit Odyss. γ'. 255. si domum reversus Ægisthum in vivis adhuc repperisset. Ἤτοι μὲν τόδε κ' αὐτὸς ὀΐεαι, ὥς κεν ἐτύχθη. Εἰ ζώοντ' Αἴγισθον ἐνὶ μεγάροισιν ἔτετμεν Ἀτρείδης, Τροίηθεν ἰών, ξανθὸς Μενέλαος, Τῷ κέ οἱ οὐδὲ θανόντι χυτὴν ἐπὶ γαῖαν ἔχευαν, Ἀλλ' ἄρα τόν γε κύνες τε καὶ οἰωνοὶ κατέδαψαν Κείμενον ἐν πεδίῳ ἑκὰς ἄστεος· οὐδέ κέ τίς μιν Κλαῦσεν Ἀχαιϊάδων· μάλα γὰρ μέγα μήσατο ἔργον.

1491. χωροῖς ἂν idem valet ac χώρει. Optativus cum particula ἂν sæpe vim futuri habet, ut Œd. T. 95. 282. Œd. Col. 507. Antig. 1108. Sæpe imperativi. Hic non magis huic formulæ χωροῖς ἂν εἴσω indignationis inest affectus, quam quum iisdem verbis Neoptolemus blande Philoctetæ dicit v. 674. *ingredere*, χωροῖς ἂν εἴσω, et quum in Trach. 624. amice Deianira dicit Lichæ, στείχοις ἂν ἤδη.

1492. νῦν ἐστιν ἁγών. Libri omnes mendose ἀγών, cujus vocis quum prior syllaba semper corripiatur, crurifragio versus laboraret, si ita legeretur. Vide quæ notavimus ad Comici Ranas 667.

τοὖργον, σκότου δεῖ, κᾆ πρόχειρος εἶ κτανεῖν;
ΟΡ. μὴ τάσσε· χώρει δ' ἔνθαπερ κατέκτανες
πατέρα τὸν ἁμὸν, ὡς ἂν ἐν ταὐτῷ θάνῃς.
ΑΙ. ἦ πᾶσ' ἀνάγκη τήνδε τὴν στέγην ἰδεῖν
τά τ' ὄντα καὶ μέλλοντα Πελοπιδῶν κακά;
ΟΡ. τὰ γοῦν σ'· ἐγώ σοι μάντις εἰμὶ τῶνδ' ἄκρος.
ΑΙ. ἀλλ' οὐ πατρῴαν τὴν τέχνην ἐκόμπασας.
ΟΡ. πόλλ' ἀντιφωνεῖς, ἡ δ' ὁδὸς βραδύνεται.
ἀλλ' ἕρφ'.
ΑΙ. ὑφηγοῦ.
ΟΡ. σοὶ βαδιστέον πάρος.
ΑΙ. ἦ μὴ φύγω σε;
ΟΡ. μὴ μὲν οὖν καθ' ἡδονὴν
θάνῃς· φυλάξαι δεῖ με τοῦτό σοι πικρόν.
χρῆν δ' εὐθὺς εἶναι τήνδε τοῖς πᾶσιν δίκην,
ὅστις πέρα πράσσειν γε τῶν νόμων θέλει,
κτείνειν. τὸ γὰρ πανοῦργον οὐκ ἂν ἦν πολύ.
ΧΟ. ὦ σπέρμ' Ἀτρέως, ὡς πολλὰ παθὸν
δι' ἐλευθερίας μόλις ἐξῆλθες,
τῇ νῦν ὁρμῇ τελεωθέν.

1507. κτείνειν. gl. λέγω τὸ κτείνειν. Nimirum apponitur ad præcedens τήνδε δίκην. De ὅστις ad nomen plurale τοῖς πᾶσιν relato, vide ad Aj. 760.

NOTÆ Edd. 1. 2. quæ ed. ult. aut omissæ aut mutatæ erant: Ad quas referunt literæ *a*, *b*, *c*, *&c.* suo loco.

IN ŒDIPUM REGEM.

(*a*) 467. Quintus hic strophæ versus, qui cum quinto antistrophæ ejusdem moduli esse debet, ei, uti vulgo leguntur, neutiquam par est. Sic eos exhibet Aldina editio: Ὥρα νιν ἀελλοπόδων ἵππων. Φοιτᾷ γὰρ ὑπ' ἀγρίαν ὕλαν. In prioris versiculi proposita scriptura consentiunt codd. omnes: in altero solus T. diversi quid habet: φοιτᾷ γὰρ ὑπαὶ ἀγρίαν ὕλαν. Voci ὑπαὶ superscripta Triclinii nota, διὰ τὸ μέτρον. Quid Turnebus dedit, ὑπὲρ ἀγρίαν, id unde habeat nescio. Sane deterius est. Vitii expertem versiculum præpostera cura contaminavi, mendosumque intactum reliqui. Parum me movet Hesychii interpretum censura: certo certius est Sophoclem reliquisse: Ὥρα νιν ἀελλάδων ἵππων. Φοιτᾷ γὰρ ὑπ' ἀγρίαν ὕλαν. Et sic oratio longe fit nitidior. Quem enim non offendat ἀελλοπόδων πόδα? Si quis tamen me invito prioris versiculi lectionem vulgatam retinere velit, is ut antistrophicum ex emendatione mea legat, omnino necesse erit.

(*b*) 583. Versus hic recte expositus est in scholiis quæ sub Triclinii nomine feruntur: ineptissime eum verterat Johnsonus. Eurip. Med. 871. Ἐγὼ δ' ἐμαυτῇ διὰ λόγων ἀφικόμην.

(c) 893. ἔρξει. Aldus et codd. plerique ἔρξεται: quidam ἔρξεται. Utrumque contra sermonis proprietatem et metri rationem. Supra habuimus futurum medium ἔρξεται, *cohibebit se, abstinebit*; statimque ἔξεται potestate itidem media, *applicabit se*: unde liquet hîc activum ἔρξει poni debuisse, hoc sensu: τίς ἀνὴρ ἔρξει ψυχᾶς βέλη ὥστε ἀμύνειν θυμῷ. Sed, ut dixi, habent alii codd. ἔξεται. Manifesto deprehenditur librariorum error, ex vicinis vocibus ortus, quarum alii aliam repetierunt. Heathii emendationem recepi: at nunc video scribi debuisse ἕξει, quod valet δυνήσεται, structura longe concinniori: τίς ἀνὴρ ἕξει ἀμύνειν θυμῷ ψυχᾶς βέλη; Absurda est Heathii hujus loci versio. Nihil aliud est quam *quis homo poterit arcere ab animo suo conscientiæ stimulos?* Supero versu ἐν τοῖσδ' habent codd. omnes veteres cum Aldo. Turnebus e Triclinio dedit ἐν τούτοις.

(*d*) 1037. Sensus hujus versus bene expositus in minoribus scholiis.

IN ŒDIPUM COLONEUM.

(*e*) 195. ἡσθῶ. Pravam scripturam imprudens hîc remanere passus sum. ἡσθῶ sedendi sensu nequidem Græcum est. In membr. scriptum, ut Aldus excudi curavit, ἢ ʽσθῶ, id est ἢ ἑσθῶ; gl. ἆρα καθισθῶ; Alteram lectionem memorat Scholiastes; prava scriptura itidem obscuratam ἢ στῶ; Illud valet *an sedere debeo?* Hoc, *an stare debeo?* Alterutrum probum est: quod vero dedimus, nihil est. Posteriorem scripturam præ altera probat Scholiastes; meo quidem judicio, merito. Huic enim Chori responsio magis congruit: *sta ad saxi latus,* λέχριος, *de coté, submissis modice genibus saxo innitens.* Quippe his Chori verbis non sedere jubetur Œdipus. Johnsono præeunte hunc locum perperam converti.

(*f*) 687. Ἰλισσοῦ. Hanc lectionem suppeditat Scholiastes, quæ ad geographicam rationem exacta verior videtur altera Κηφισοῦ.

(*g*) 1443. εἴ σου στερηθῶ. Sic libri omnes. Nescio an, quia στερηθῶ futuri significatione hîc adhibitum, tanquam στερηθήσομαι, particula εἰ locum obtinere possit. Alias certum est cum subjunctivo rite eam non construi. Melius legeretur ἤν σου στερηθῶ.

(*h*) 1678. ἐν πόθῳ λάβοις. Sic cum Cantero legendum, vel, quod probabilius adhuc et elegantius, εἰς πόθον. In T. scriptum a prima manu εἰ πόθον. Ceteri cum impressis εἰ πόθῳ sine sensu. Ceterum quod in versione expressi nimis festinanter, nec satis cogitate ex Heathii notis adsumpsi, inficetum mihi nunc videtur. Sensum bene declaravit Scholiastes: ὡς μάλιστα ποθήσαις ἂν αὐτὸν μαθεῖν βεβηκότα. *Ita quidem, ut tu lubentissime audias illum interiisse.* Sic omnia Antigonæ continuata optime procedunt.

(*i*) 1755. χρείας. Sic libri omnes, nemine reclamante. At legendum censeo χρείαν. τίνος χρείαν ἀνύσαι θέλουσαι;

IN ANTIGONAM.

(*k*) 956. κερτομίαις ὀργαῖς. Sic in E. In August. κερτομίης ὀργῆς. In aliis κερτομίοις ὀργαῖς.

IN TRACHINIAS.

(*l*) 358. ὅν, gl. τὸν ἔρωτα—παρείσας, ἀπατώμενος. Sic etiam accepit Scholiastes. Hesychius apposite ad hunc locum: παρείσας, ἐάσας. Haud tamen deterior mihi videtur sensus, quem in versione expressi, ὃν ad proxime præcedentem referens Ἴφιτον μόρον, quem Lichas modo in sermonem suum intrusit.

(m) 418. κάτοισθα δή που; Φημί. Sic libri omnes, nec est cur in suspicionem vocetur hæc lectio. Nuntius rogat, non, ut ante Deianira, quænam sit illa captiva, quibusve parentibus orta: sed aditum sibi parans ad ulteriorem sermonem ait: *Nosti scilicet captivam illam, quam domum adduxti modo?* Tanquam si diceret, *haud negas te captivam puellam domum adduxisse modo.* cui Lichas arroganter respondet: *Sane eam novi: tu vero cur hoc me rogas?* Nulla igitur causa est, cur Parisini editoris conjectura probetur, Κάτοισθα δῆτ'; Οὔ φημι.

(n) 636. μέσσαν. Sic T. In aliis, ut apud Aldum, μέσαν.—μεσὰ tuentur membr. B. et Aldus. Versus est trochaicus, cui tamen antistrophicus 643. congruere nequit, nisi pro ἀντίλυρον legatur ἀντίμολπον. Alias metricam rationem bene observavit Triclinius, quem hic deseruisse nollem: Οἵ τε μέσσαν Μηλίδα πὰρ λίμναν. et in antistrophe: Ἀλλὰ θείας Ἀντίλυρον μούσας.

(o) 1223. σ' ἐπισκήπτω. Id est, ἐπισκήπτω σοι. Nam hoc verbum cum tertio casu semper construitur. Falsum est proinde quod Bentleius in Menandreis statuit p. 81. voculam σοὶ nunquam in syllaba brevi elidi.

IN PHILOCTETAM.

(p) 212. In Tragici exemplaribus sic legitur hic versus: Ὡς οὐκ ἔξεδρος, ἀλλ' ἔντοπος ἀνήρ. Manifestum est lectionis vitium, quod metri ratio ostendit: quippe versus esse debet dimeter anapæsticus, qualem quidem eum concinnavi pro ἔντοπος substituendo ἐγγύς. Sed usquequaque falsa est hæc emendatio. Fefellit me opinio confusas hic fuisse lectionem et glossam. Sane si ἐγγὺς in textu lectum olim fuisset, nulli magistro venisset in mentem, adverbium hoc declarare per nomen ἔντοπος; verum hoc bene declaratur per hanc glossam ἐγγύς ἐστι τοῦ τόπου τούτου. Tum venusta oppositio est nominum ἔξεδρος et ἔντοπος. Denique indefinitum ἀνὴρ indoli linguæ repugnat. Vera lectio est, quam me piget serius deprehendisse: Οὐκ ἔξεδρος, ἀλλ' ἔντοπος ἁνήρ. Particula ὡς initio versus a mala manu est: absque ea versum hunc citat Scholiastes Comici ad Aves 276.

(q) 711. εἴ ποτε τόξων πτανὸν πτανοῖς. Versus est dimeter anapæsticus, vel, si mavis, tetrameter dactylicus. Hac sola observatione cohiberi poterat Parisinus editor a futili conjectura κτανὼν πτανούς. Ne hoc quidem postremum contra librorum fidem admittendum, suadente erudito Britanno apud Heathium. Nam dativus πτανοῖς idem est ac διὰ πτανῶν.

(r) 782. In Aldina et in veteribus codd. sic scriptus est hic versus: ἀλλὰ (in B. ἀλλ' οὖν) δέδοικ' ὦ παῖ μή μ' ἀτελὴς εὐχή. Triclinius vel ex antiquo exemplari, vel ex conjectura dedit: Ἀλλ' ὦ δέδοικα μή μ' ἀτελὴς εὐχή, τέκνον. varia lectio superscripta μή σ' ἀτελής. Id est μή μοι, vel μή σοι ἀτελής. Pronomen melius abest plurimis de causis. Ac primo quidem ex eo quod incertum sit,

utrum ab auctoris manu sit, colligi potest neutrum necessarium esse, quod satis liquet. Deinde sic vitatur anapæstus in quarta sede: denique non placet μοι ante vocalem brevem elisum, quod vereor ut recte fieri posse vere dixerim in nota ad Trach. 1221. Ibi σ' ἐπισκήπτω accipi potest et debet pro ἐπισκήπτω σοι. Construitur enim cum accusativo personæ hoc verbum. Euripid. Iphig. T. 701. Πρὸς δεξιᾶς σε τῆσδ' ἐπισκήπτω τάδε. sic rursus in Alcestide 372. ἐπισκήψω τούσδε, *hisce mandam.* μὴ ante vocalem longam aut diphthongum cum ea coalescit: si sequatur vocalis brevis, ea eliditur, seu raptim pronuntiatur, ita ut in metri scansione pro nulla habeatur. Nihil interest scribaturne μὴ ἀτελὴς an μὴ 'τελὴς, siquidem certum est olim vocales omnes pronuntiari solitas fuisse, et in scriptura pingi. Sic apud Stobæum Floril. Grotii p. 17. 'Αλλ' ἡ φρόνησις ἡ ἀγαθὴ, θεὸς μέγας. pag. 61. 'Ανὴρ δίκαιός ἐστιν, οὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν. Tam bona est ea scriptura, quam illa cujus mos invaluit ἡ 'γαθὴ, ὁ μὴ 'δικῶν. Quin postrema quandoque moram lectori creare potest.

(*s*) 830. Scholion in membr. ἐναντιωθεὶς τοῖς ὄμμασι τοῦ Φιλοκτήτου, μὴ ἐάσῃς αὐτὸν βλέψαι ταννῦν. In scholiorum editione Romana perperam insertum fuit καὶ, quod deletum volueram.

(*t*) 863. Τόδ' ἁλώσιμον ἐμᾷ φροντίδι, παῖ. Πόνος ὁ μὴ φοβῶν κράτιστος. Sic distingui debuit: male excusum divisim τὸ δ'. oportuit τόδ', quod valet *hocce, hoc negotium, res quam agimus:* ἁλωσιμόν ἐστι, id est ἁλῶναι δύναται, *capi, confici potest:* ἐμᾷ φροντίδι, *solertiæ meæ, per meam solertiam.* Non patitur linguæ indoles, nec usus ut τὸ ἁλώσιμον accipiatur pro ἡ ἅλωσις, *modus quo capiatur.* Proinde nec ἀνάκειται, nec προσήκει aut μέλει subauditur: verum quod simplicissimum est, et ellipsi omnium frequentissima, ἐστὶ, hoc sensu: *Negotium hoc, ô fili, mea solertia confici potest: labor absque metu optimus.* Sic vertere debui ex Græcis bene scriptis et distinctis in apographo meo, quod ante oculos non habui, quum versionem describerem: quod in ea dedi, nauci non est. His verbis innuit Chorus, se Philoctetam minimo labore in navem translaturum, si Neoptolemus jubeat, idque maxime expedire, quum vacet periculo. Hesych. ἁλώσιμον, ληφθῆναι δυνάμενον. Idem quod ἁλωτὸν in Œd. T. 111. τὸ δὲ ζητούμενον, ἁλωτόν. Canticum hoc interpretes misere solicitos habuit: at nullus se magis contorsit, quam auctor Observationum in Philoctetæ versiones, Historiæ Academiæ nostræ insertarum T. xxxi. p. 156. Multa movendo nihil promovet vir optimus, qui Divam Criticam tristem semper expertus est, quoties Græcos Poëtas emendare aut interpretari in animum induxit.

IN ELECTRAM.

(*u*) 123. ἀκόρετον. Aldus, metro reclamante, ἀκόρεστον. Illud est in membr. D. E. meo. Negat vocem esse Græcam Heathius; pertenditque ἀκόρεστον legi debere penultima vel brevi, vel pro brevi habita; utrumque falsissime. Nam ἀκόρετος, non minus

quam ἀκόρητος et ἀκόρεστος dici, similium vocum analogia ostendit: tum certum est, si quid aliud in re metrica et critica, vocalem ante literas στ nullum poëtam Atticum corripuisse. Verum in hoc loco facile est litem dirimere, admissa alia lectione, eaque sane quam eleganti, quam suppeditat cod. T. ubi sic in contextu liquido scriptum est, nullo diversæ lectionis apposito indicio: Τάκεις ὧδ' ἀκόρεστ' οἰμωγάν. Esset ἀκόρεστα neutrum plurale, vice adverbii, ut infra, 164. ἀκάματα, in Œd. Col. 1560. ἐπίπονα, et in Aj. 197. ἀτάρβητα. Eligant eruditi utra lectio magis placeat. Ego plurium præstantiorumque codicum fidem haud invitus sequor.

SOPHOCLIS

ŒDIPUS REX.

DRAMATIS PERSONÆ.

ŒDIPUS.

SACERDOS.

CREON.

CHORUS THEBANORUM SENUM.

TIRESIAS.

JOCASTE.

NUNTIUS.

FAMULUS LAII.

INTERNUNTIUS.

SOPHOCLIS

ŒDIPUS REX.

OED. O FILII, veteris Cadmi nova progenies, curnam hîc mihi sedetis, velamenta præferentes manibus? Urbs vero tota thure incenso fumat, flebilique pæanum cantu ac gemitu omnia resonant. Quæ ego quum censerem non ex alio nuntiante mihi cognoscenda esse, ipse huc prodii, ille omnium sermone celebratus Œdipus. Age vero eloquere tu, senex, quippe quem par est pro hisce fari, quæ causa est, cur hîc supplices sedetis? numquid metuentes, cupientesve? maximo enim opere vobis opitulari volo: namque immisericors utique essem, nisi me commoveret tam lugubris supplicatio.

SAC. At ô patriæ meæ rector Œdipe, vides quidem nos, quales assidemus aris tuis: isti quidem nondum valentes procul volare: illi vero senio graves sacerdotes, Jovis quidem ego: denique hæc juvenum lecta manus: reliqua autem multitudo supplices gerens ramos in foro considet, Palladisque ad gemina delubra, et Ismenii Apollinis fatidicum focum. Namque, ut ipse vides, ingenti fluctu quassatur civitas, nec potest amplius mersum æstu sanguineo extollere caput, eadem ipsa consumpta lue, qua frugum omnis arescit seges, tabescunt boum armenta, pereunt immaturis partubus fœtus mulierum. Quin dira ingruens face Pestis, Dearum teterrima, exagitat urbem, vastatque Cadmi domum: suspiriis et lamentis ditescit ater Orcus. Jam vero tuas consedimus ad fores, ego puerique isti, haud utique parem te Diis censentes, sed, si quos vita ferat ancipites casus, aut iratum invehat numen, primarium in his consilio virum: qui adventu tuo in Cadmeam urbem, eam a tributo vindicasti, quod pendebamus immiti vati; tametsi nihil hujus rei a nobis compereras, nec fueras edoctus: sed sola numinis adjutus ope diceris crederisque nostram erexisse vitam. Nunc ergo, fortissime Œdipe, rogamus te hice omnes ad te supplices conversi, opem ut aliquam invenias nobis, sive Dei alicujus edoctus oraculo, sive hominis cujuspiam monitu. Usu enim peritis video felici quoque eventu consilia maxime vigere. Age, vir optime, in pristinum statum restitue urbem; age prospice: quandoquidem te nunc hæc civitas servatorem suum nuncupat ob priora merita; auspiciorum vero tuorum neutiquam meminerimus, si prius a te erecti corruamus denuo. Itaque restauratam urbem in tuto colloca, et qui fausto prius omine rem nobis restituisti, sis nunc similis tui. Nam si perrexeris dominari huic urbi, plenam viris, quam vacuam, re-

gere pulchrius est. Quippe nihil est neque arx neque navis, si vasta sit, nec a viris habitetur.

OED. O miserabiles pueri, nota, non ignotà mihi, precatum advenistis. Prorsus enim scio morbo laborare vos omnes; quumque dolore conficiamini, non tamen quisquam est, cui ista magis quam mihi doleant. Vestrûm enim unusquisque suo tantum attingitur dolore, alieni doloris expers: at animus meus et urbis, et meam, et vestram vicem gemit. Proinde haud somno sopitum me excitastis: sed scitote multum me jam flevisse, multasque vias iniisse, diductis quoquoversum cogitationibus. Quam vero mecum sedulo considerando unicam reperi medicinam, eam adhibui. Quippe Menœcei filium Creontem, affinem meum, ad Pythia misi Apollinis delubra sciscitatum, quonam vel facto vel dicto urbem hanc liberare possim. Jamque computantem quotus hic dies est ex quo abiit, subit solicitudo, quid rerum agat. Causam enim nullam video, cur diutius absit, quam postulat mandati ratio. At quando venerit, tum ego improbus sim, ni exsequar omnia quæ præceperit Deus.

SAC. Et recte tu quidem dicis: namque hi jam Creontem advenire mihi significant.

OED. O rex Apollo, utinam ille ita felici sorte veniat, ut hilari vultu adest.

SAC. At, ut videtur, lætus est. Alioqui non ita caput cinctus veniret frugiferæ lauri ramo.

OED. Statim sciemus: prope enim satis adest, audire ut nos possit. O rex, mi affinis, nate Menœcei, quod nobis affers responsum Dei?

CR. Bonum. Nam quæ etiam difficilia sunt, si modo recta via perducantur ad exitum, omnia dico prospera fore.

OED. Quid hoc sermonis est? Neque enim fiduciam, neque adeo metum hisce ex dictis capio.

CR. Si istis vis adstantibus audire, paratus sum loqui; sin minus, ire intro.

OED. Coram omnibus eloquere. Magis enim horum me conficit dolor, quam meæmet ipsius vitæ cura.

CR. Dicam quæ audivi a Deo. Dilucido jubet nos rex Apollo, piaculum, quod scilicet intra hanc urbem nutritur, exterminare, neque inexpiabile alere.

OED. Qualem adhibeamus expiationem? Quodnam calamitatis genus est?

CR. Extra fines abigentes, vel necem rursus nece plectentes: sanguis enim effusus hanc exagitat urbem.

OED. Nam quis homo est, cujus cædem significat?

CR. Fuit nobis, ô Rex, urbis hujus olim dominator Laius, antequam tu ad regni clavum accederes.

OED. Audire memini: sed virum nunquam vidi.

CR. Hujus extincti jam mandat aperte Apollo, ut quosdam auctores cædis puniamus.

OED. Ubi gentium illi sunt? ubi deprehendetur vestigium aliquod veteris sceleris, quo nulla ducat conjectura?

CR. Hac ipsa in urbe dixit. Quod quæritur, id invenire est: at effugit, quod negligitur.

OED. Sed dic mihi, utrum in urbe, an ruri, an vero peregrina in regione Laius interfectus fuerit.

CR. Profectus, ad consulendum oraculum, ut aiebat, domum amplius non rediit, ex quo abiit semel.

OED. Nec nuntius quispiam, nec comes itineris conspexit, unde aliquis rem, uti gesta est, possit exquirere?

CR. Periere omnes præter unum, nescio quem, qui metu aufugit, quæque vidit, eorum nihil nisi unum referre potuit.

OED. Quidnam id est? Ex uno enim multa investigari possint, si parvum initium spei capiamus.

CR. Latronum ait occurrisse validam manum, horumque numero oppressum periisse.

OED. Sed latro, nisi oblato ab aliquo cive præmio incitatus fuisset, quî eo processisset audaciæ?

CR. Sic erat suspicio: sed Laio extincto nullus in malis vindex exortus est.

OED. Quid vero mali obstitit, rege sic interempto, ne fieret inquisitio?

CR. Perplexa vates Sphinx, quæ ante pedes erant, omissis incertis, dispicere nos adegit.

OED. At ab initio hæc ego repetita proferam in lucem. Digne enim Apollo, digne etiam tu pro mortuo rege curam hanc suscepistis. Quocirca me quoque adjutorem justum videbitis, urbis hujus, divinique simul oraculi propugnatorem. Non enim remotiorum amicorum gratia, sed meapte causa hoc amovebo scelus. Quicunque enim illum occidit, forsitan is eadem audacia in me grassaretur. Illi ergo dum opitulor, mihi ipsi prosum. At quam celerrime vos quidem pueri e sedibus surgite, sublatis his supplicibus ramis: Cadmi vero populum huc in concionem vocet aliquis. Quippe omnia experiar: Deo enim auspice aut felices erimus, aut pessum ibimus.

SAC. Surgamus, ô pueri: horum etenim causa huc venimus, quæ hic edicit. Qui vero has sortes misit Apollo, simul servator nobis adsit, morbumque depellat.

CH. O Jovis dulcisona dictio, qualis tandem opulentis a Delphis nobiles adiisti Thebas? Distrahor animo trepido, metu palpitans, (Medice, Delie, Pæan!) circa te veritus, quid mihi vel jam, vel volventibus rursus anni tempestatibus, conficies rei. Dic mihi aurea Spei progenies, Fama immortalis. Filia Jovis, immortalis Minerva, primam te invocanti cum terricola sorore Diana, quæ in fori ambitu glorioso insidet throno, et procul jaculante Phœbo, eheu! tres vos adeste mihi, malorum depulsores. Quandoquidem exortæ prius in urbe calamitatis exterminastis noxium incendium, nunc quoque suppetias venite. Eheu! Eheu! Namque mala innumera fero: ægrotat mihi universus populus, nec suppetit consilii vis, quo quis mederi queat: neque enim maturescunt inclytæ terræ fruges: nec parturientes mulieres lacrymosos dolores perferunt: alium super alium videas, præpetis

instar alitis, ocius igne indefesso, ruentem ad littus inferi Ditis, quorum innumeris funeribus civitas exhauritur: jacet in solo cadaveribus pleno turba indefleta: nuptæ, canæque matres, ad omnes aras aliæ alibi prostratæ, supplici ululatu gemitibusque finem tristium malorum petunt: fervent iterati pæanes, flebilisque simul gemituum sonus. Quapropter ô Jovis aurea formosaque filia, mitte auxilium, Martemque pestiferum, qui nunc depositis ferreis armis urit me maximo clamore irruens, retrogrado cursu fugere coge patria mea extorrem, sive in immensum thalamum Amphitrites, sive ad littus inhospitale Thracii sali. Nam si quid reliqui nox fecit, id insequens absumit dies. Martem illum, inquam ô coruscorum fulgurum potens Jupiter, tuo confice fulmine. Utinam, ô Rex Lycee, tela tua invicta ab aureo arcu distribueres, ad opem ferendam directa, et igneas Diana faces, quibus Lyceos montes percurrit! aureaque decorum mitra invoco, cognominem hujus urbis, purpureum Bacchum Evium, Mænadum comitem, ut veniat lucida comburens tæda, contra infamem hunc inter Deos Deum.

OED. Audio quod rogas: uti rogas autem, si velis dictis meis auscultare, et huic morbo succurrere, remedium consequaris et levamen malorum. Eloquar vero, ut qui nunc primum hæc audio, alienusque sum a re gesta. Neque enim investigando multum ipse promoverem, qui nullum indicium habeo. Nunc autem vobis Cadmeis civibus, quos inter censeor ego novissimus, omnibus hæc edico. Quicunque vestrûm novit quonam ab homine Laius Labdaci filius interfectus fuit, hunc jubeo, ut rem omnem indicet mihi: etiam si metus eum cohibeat, tacendoque cogitet crimen a se amoliri, indicet tamen: patietur enim nihil aliud acerbi, quam ut ex hac urbe abeat incolumis. Si vero quis alium peregrina ex regione novit auctorem cædis, ne sileat: mercedem enim persolvam ei, accedetque insuper gratia. Sin autem tacebitis, et aliquis vel amico metuens, vel sibi ipsi, rejecerit hæc mea dicta, quid deinde facturus sim percipitote. Hominem hunc, quisquis ille sit, edico ne quis terræ hujus incola, quæ regitur imperio meo, excipiat hospitio, neque alloquatur, neque in Deûm supplicationibus vel sacrificiis participem admittat, nec lustrali aspergat aqua: arceant vero a laribus omnes, ut qui piaculum sit nobis, uti Pythicæ sortes Dei modo declararunt mihi. Hoc igitur pacto et Deo, et perempto viro opitulor. Exsecror autem latentem cædis auctorem, sive is solus, sive pluribus adjutus facinus commiserit, ut communis expers juris malus male absumat vitam. Quin imprecor etiam, si in ipsius mei nescientis ædibus conversetur, ut patiatur eadem, quæ his modo imprecatus sum. Vobis autem omnia ista ut exsequamini præcipio, mei ipsius gratia, tum Dei, regionisque hujus, sic sterilitate et numinis ira afflictæ. Neque enim vos, etsi Deus non jusserat, sic inexpiatum linquere decebat scelus, fortissimo viro, eodemque Rege interempto; sed penitus inquirere oportebat. Nunc vero auctor sum ipse quoque, qui et regnum obtineo, quod obtinuit ille antea, quique ejus conjugem habeo consortem procreandæ so-

bolis, et communes cum eo liberos, si felici fuisset auctus prole, suscepissem. Nunc autem in illius caput male ingruit fortuna. Quapropter ego pro illo tanquam pro meo patre propugnabo, et omnia experiar, ut deprehendam peremptorem filii Labdaci, Polydorique, et Cadmi, vetustique Agenoris. Qui autem his meis mandatis non paruerint, iis precor Deos, ne fruges terra proferat ullas, neve mulieres pariant sobolem; sed eadem, qua nunc affictamur, intereant lue, vel alia etiam acerbiore. Vobis autem ceteris Cadmi posteris, quicunque ista approbatis, precor ut sit adjutrix Justitia, et omnes semper læti adsint Dei.

CH. Ut me exsecratione hac obligasti, sic tibi, Rex, respondebo: neque enim ipse peremi, nec qui peremerit indicare possum: sed quæstionem hanc explicare debebat qui eam proposuit Apollo, quis tandem ille sit, qui scelus commisit.

OED. Justa quidem dicis: sed cogere Deos nemo unquam possit, ut quæ nolint faciant.

CH. Secunda ab his dicam, quæ usui esse mihi videntur.

OED. Vel tertiâ, si quæ habes, ne omittas dicere.

CH. Regem Tiresiam scio eadem, quæ rex Apollo, videre, a quo si quis exquirat, ô rex, rem explorare possit certissime.

OED. Sed ne hoc quidem neglexi: misi enim Creontis monitu viros, qui eum arcessant, duos; eumque nondum adesse jampridem miror.

CH. Enimvero cetera quæ vulgo feruntur, nihili sunt, et inanes rumores.

OED. Quænam illa sunt? quodlibet enim dictum perpendo.

CH. Occisus dictus fuit a quibusdam viatoribus.

OED. Audivi et ego: sed qui adfuerit, quum occideretur, testis nullus adhuc apparuit.

CH. Sed nisi prorsus timoris est expers, quum tuas tam diras audierit imprecationes, eas non sustinebit.

OED. Qui scelus patrare non timet, is verba minus metuit.

CH. Sed adest qui eum redarguet: hi enim divinum vatem jam huc adducunt, cui veritas ingenita est mortalium soli.

OED. O qui omnia perspicis animo, fanda et nefanda, cœlestiaque et terrestria, Tiresia, etiamsi non vides, sentis tamen, quali conflictatur morbo civitas, cujus te patronum et sospitatorem, ô rex, unicum invenimus. Apollo enim, si forte id jam non audiisti ab hisce nuntiis qui te huc deduxerunt, per legatos quos consultum miseramus, responsum nobis remisit, liberationem unam fore hujus morbi, si peremptores Laii compertos neci dederimus, aut, in exilium abegerimus. Tu ergo ne quod invideas, sive augurii, sive quam aliam divinationis tenes rationem; libera te ipsum et civitatem, libera me etiam, exsolve piaculum omne, defuncti regis contractum nece. Ex te enim pendet nostra salus: haud vero labor est ullus homini præclarior, quam prodesse aliis, quantum queat habeatque.

TIR. Heu, heu! sapere quam grave est, ubi sapere non expedit! atqui hoc probe mihi cognitum, modo non recordatus sum; si enim meminissem, neutiquam huc venissem.

OED. Quid rei est? ut tristis advenisti!

TIR. Dimitte me domum: facillime enim tuumque tu, et ego perferam meum, si mihi parueris.

OED. Nec justum est quod dicis, nec opportunum huic urbi, quæ te aluit, si quod tibi hac de re compertum est reticere cogitas.

TIR. Intelligo enim ne te quidem quod e re sit loqui; quod ne mihi quoque accidat, cavebo.

CH. Ne, per Deos obsecro, quæ nota sunt tibi, renuas proferre, quandoquidem nos omnes quotquot adsumus te supplices veneramur.

TIR. Omnes enim desipitis: ego vero neutiquam mente condita expromam, ne tua patefaciam mala.

OED. Quid ais? quæ scis, non proferes? sed cogitas nos prodere, civitatemque funditus perdere?

TIR. Ego neque me ipsum, neque te dolore afficiam. Quid hæc frustra sciscitaris? non enim ex me audies.

OED. Non, ô malorum pessime, (etenim vel saxo iram movere tu queas,) aliquando dices? sed ita rigidus pervicaxque videberis?

TIR. Mores tu meos vituperas; eos vero ignoras quibus ipse moratus es, et me culpas tamen.

OED. Quis enim ad iram non concitetur, talia dicta audiens, quibus tu civitatem hanc dedecoras?

TIR. Palam enim sponte sua fient, licet ego tegam silentio.

OED. Ergo quæ manifesta futura sunt et te mihi par est dicere.

TIR. Nihil amplius dicam: proinde, si lubet, prorumpe ad iram vel sævissimam.

OED. Atque nihil sane omittam, ut ira incendor, eorum quæ sentio: scito enim te videri mihi adjutorem fuisse hujus sceleris, patratoremque, nisi quod propria manu non occidisti: nisi autem oculis captus esses, et facinus hoc tuum solius esse dicerem.

TIR. Itane vero? at ego te jubeo edicto illo stare, quod modo promulgasti, et ab hac ipsa die neminem horum affari, neque me, ut qui impius sis pollutorque hujus urbis.

OED. Siccine impudenter emisisti hoc verbum, et forte speras te impune evasurum?

TIR. Evasi: vim enim veritatis habeo.

OED. A quo edoctus? non enim ex arte tua habes.

TIR. A te: tu enim me nolentem impulisti dicere.

OED. Quidnam? dic rursus, ut melius intelligam.

TIR. Non intellexti antea? aut sermonemne meum tentas?

OED. Non ita, ut cognitum dicere queam. Quin dic iterum.

TIR. Viri te peremptorem esse dico, illum quem reperire cupis.

OED. At non impune bis convicia dixeris.

TIR. Vin' ergo et alia dicam, ut irascare magis?

OED. Quantum quidem vis: nam frustra dicetur.

TIR. Inscium te aio cum carissimis turpissime consuescere, nec cernere quibus es in malis.

OED. An impune hæc te semper dicturum putas?

TIR. Siquidem est aliquid veritatis robur.

OED. Est sane, nisi tibi: tibi autem nullum est, quoniam cæcus et auribus, et mente, oculisque es.

TIR. Tu miser quidem es, hæc mihi exprobrans, quæ tibi nemo non horum mox exprobrabit.

OED. Continua in nocte versaris, ita ut nec me, nec alium qui lucem videat, lædere possis.

TIR. Lædere ne quidem te cogito: non enim per me fatale tibi est cadere, siquidem sufficit Apollo, cui horum pœnas exigere curæ est.

OED. Tuane, an Creontis hæc sunt commenta?

TIR. Creon tibi nulla mali causa; sed ipse tu tibi.

OED. O divitiæ, et regnum, arsque ceteras superans artes ad vitæ felicitatem, quantum vobis invidiæ subest, siquidem propter hoc imperium, quod mihi civitas ultro traditum, non expetitum detulit in manus, Creon ille fidus, ille ab initio amicus, clam mihi struit insidias, et ejicere me studet, subornato hoc præstigiatore, fraudum consutore, versuto, circulatore, qui ad lucrum solummodo cernit, ad artem vero cæcus est! Nam dic age, ubinam tu certus es vates? Cur non, quando hîc erat perplexi carminis inventrix canis, ambages exsolvens cives hos liberasti? Atqui illud ænigma non cujusvis hominis erat interpretari, sed divinatione opus erat, quam neque ab augurio, nec a Deorum aliquo notam habere visus es: at ille ego adveniens, qui nihil sciebam, illam compescui, mentis acie assecutus, non ab alitibus edoctus; quem videlicet tu conaris ejicere, sperans Creontis solio te adstaturum proxime. At tuo cum maximo videris mihi tuque, et qui hæc confinxit, piacula ex urbe pulsurus: et nisi te senectâ delirare crederem, damno tuo cognosceres, quam male sentias.

CH. Quantum quidem conjicimus, et hujus verba, tuaque, Œdipe, iracundiæ calore elata videntur. His autem non est opus, sed considerare, quomodo Dei oraculum optime expediamus.

TIR. Etsi regnum obtines, æquum tamen mihi jus dictis tuis paria referre: hoc enim ego etiam polleo. Namque tibi nequaquam subditus vivo, sed Apollini; quocirca nec Creonte patrono opus mihi erit. Dico autem, quoniam mihi cæcitatem exprobrasti, tu etiamsi cernis oculis, non tamen vides quibus es in malis, nec ubi habitas, nec quibuscum conversaris domi. Nostin' ex quibus natus es? immo latet te hostem esse tuorum, quique apud inferos sunt, quique in terra superne: et te utrinque impetentes maternæ paternæque terribiles diræ exigent aliquando ex hac urbe, nunc quidem recte videntem, tum vero cæcum. Quo autem non pervenient ejulatus tui? Quis Cithæron questus tuos brevi non recinet, quum conscius factus fueris hymenæi, cujus in importunam stationem domi tuæ appulisti, secunda navigatione usus? aliorumque malorum non vides agmen, quæ tibi tuis-

que liberis paria erunt. Proinde et Creontem et meum os conviciis proscinde: mortalium enim nemo est qui fœdioribus exemplis quam tu, peribit unquam.

OED. Hæccine, quæso, ex isto audire quispiam sustineat? non in malam crucem abis? non ocius? non retro hisce ab ædibus conversum te abripis?

TIR. Ne quidem ipse venissem, nisi tu vocasses.

OED. Non enim te stulte locuturum noveram: alioqui nunquam te domum meam arcessivissem.

TIR. Equidem ita sum comparatus, tibi quidem ut videtur, stultus; parentibus vero, qui te genuerunt, sapiens.

OED. Quibus? mane: quis me, sodes, genuit mortalium?

TIR. Hæc dies te gignet, eademque te perdet.

OED. Ut omnia perplexa nimis et obscura loqueris!

TIR. Non vero tu talia optimus es expedire?

OED. Talia exprobres mihi licet, unde me magnum exstitisse invenies.

TIR. Atqui ea ipsa te perdidit prosperitas.

OED. Sed si hanc civitatem sospitavi, nihil moror.

TIR. Abibo igitur: tuque puer abduc me.

OED. Abducat sane: nam præsens, quod propositum est nobis negotium impedis: procul autem amotus, non eris molestus amplius.

TIR. Abibo, sed postquam ea dixero, quorum gratia huc veni, dignitatem tuam nequaquam veritus: non enim vita mea in tua manu est. Dico autem tibi: vir ille, quem dudum quæris, minitans et edicta proclamans de cæde Laii, is præsens adest, verbo quidem peregrinus et advena, deinde vero indigena Thebanus apparebit; nec lætabitur hoc casu: cæcus enim ex vidente, et egenus ex divite factus, in peregrinam terram, baculo viam prætentans, proficiscetur: palam autem fiet suorum ipsius liberorum fratrem simul et patrem eum esse, mulierisque, ex qua natus est, filium et maritum, patris vero participem lecti et occisorem: atque hæc, domum ingressus, exquire, et si me falsum deprehendes, tunc dicas nihil me divinando sapere.

CH. Quis ille est, quem fatidica edixit Delphica rupes maxime infandum facinus sanguineis perpetrasse manibus? tempus est, ut pernicibus equis citatior fugam capessat: armatus enim in illum incurrit igne et fulguribus Jovis filius: terribilesque una sequuntur inevitabiles Diræ. Illustris enim nuper omissa est nivoso e Parnaso dictio, latitantem ut quisque virum investiget: namque agrestibus addit se silvis, antraque subit et rupes, ut taurus, et miser misero pede solitarius vagatur, edita terræ ex umbilico oracula et effugiat: illa vero semper vigentia circumvolant. Vehementer quidem me conturbat peritus augur, vaticinio nec addentem, nec dementem fidem; quid autem dicam incertus hæreo, dubiaque spe pendeo, nihil congruum videns nec in præsentibus nec in præteritis factis. Haud enim unquam nec antea nec nunc audivi simultatem intercessisse Labdacidis cum filio Polybi, unde conjecturam faciens explorem, an propter vatis

vulgatum responsum, contra Œdipodem Labdacidis auxilium laturus sim, ultionemque cædis obscuræ suscepturus. Atqui prudentes sunt sane Jupiter et Apollo, mortaliumque facta norunt: sed inter homines vatem plus, quam ego, intelligere, judicio non constat certo: est ut virum vir antevertat sapientia: verum equidem nunquam, prius quam videro dictum eventu comprobatum, eos damnaverim, qui fidem illi derogant. Omnium enim in conspectu Œdipo se obtulit olim alata virgo, sapiensque ille visus est, certamque civitati tulit salutem: quapropter judicio meo nunquam censebitur pravus.

CR. O cives: ut audivi res atrocissimas de me prædicare regem Œdipum, huc me contuli, intolerabili pressus dolore. Si enim in hac præsente calamitate putet sibi a me vel dictis vel factis damnum aliquod illatum fuisse, non mihi vitæ longioris esse possit cupido, tali notato crimine: non enim ad leve malum injuria hujus sermonis tendit, sed ad maximum, si malus quidem in civitate, malus etiam a te ceterisque amicis perhibebor.

CH. At prodiit, opinor, hoc convicium forsitan ira expressum potius, quam mentis ex sententia.

CR. Undenam vero apparuit, vatem meis consiliis obsecutum falsa locutum fuisse?

CH. Sic quidem dictum fuit; at nescio quo argumento.

CR. Oculisne rectis, rectaque mente hoc me insimulavit crimine?

CH. Nescio; quæ enim faciunt principes non inspicio: sed eccum, ipse jam egreditur foras.

OED. Heus tu, quid huc venisti? tantane es audacia atque impudentia, ut meam ad domum veneris, qui palam me perimis, regnique mei manifestus es prædo? Age dic, per Deos obtestor, perspectane in me timiditate aut dementia, ista molitus es? an forte sperasti me dolos non persensurum quibus me clam adoriris; aut, si sensissem, non ulturum? Annon insanus est iste tuus conatus, sine populi consensu amicorumque ope regnum aucupari, quod populi favore opibusque solet obtineri?

CR. Scin' quid agas? pro hisce tuis dictis paria vicissim audi; quumque rem cognoveris, ipse judicato.

OED. Tu quidem disertus es: at ego te neutiquam lubens audierim, quippe quem infensum mihi molestumque deprehendi.

CR. Hoc ipsum ergo a me primum audi, uti comparatum esse dicam.

OED. Hoc ipsum ne mihi dicas, te malum non esse.

CR. Si quidem putas boni quid esse pervicaciam absque sana mente, non recte sapis.

OED. Tu vero si putas injuriæ quam affini feceris non daturum te pœnas, non recte sapis.

CR. Justum est quod dicis; fateor: sed quænam sit ea injuria, qua te læsum fuisse ais, doce me.

OED. Persuasistin' mihi, an non, oportere me per nuntium aliquem vatem illum venerandum arcessere?

CR. Et nunc quidem in eadem sum sententia.

OED. Quantum jam temporis, quæso, ex quo Laïus—

CR. Quid eum fecisse dices? haud enim in mentem mihi venit, quo tendat sermo tuus.

OED. E medio sublatus est exitiali manu?

CR. Longa et antiqua numerari possent tempora.

OED. Tunc temporis vatesne ille hanc profitebatur artem?

CR. Æque sapiens, et honore habitus pari.

OED. Numquid mei meminit tunc temporis?

CR. Minime: saltem nunquam me præsente.

OED. At nullam inquisitionem de mortuo habuistis?

CR. Habuimis, et quidni? sed nihil comperimus.

OED. Cur ergo tunc ille sapiens non eadem hæc dixit, quæ nunc dicit de me?

CR. Nescio: de iis enim quæ non intelligo taceo.

OED. Saltem factum tuum nosti, dicesque, si prudens es satis.

CR. Quid illud est? si enim sciam, non negabo.

OED. Vatem, nisi tecum congressus fuisset, nunquam me dicturum fuisse auctorem cædis Laïi.

CR. An hoc ille dicat, ipse tu nosti: ego autem te percontari cupio itidem ut tu me modo.

OED. Percontare; non enim unquam Laïi occisor arguar.

CR. Age ergo, anne meam sororem conjugem habes?

OED. Non est ut istud quod quæris negem.

CR. Et regnas pariter cum ea, parique frueris agri portione?

OED. Quæ voluerit, a me consequitur omnia.

CR. Nonne vobis duobus tertius ego æqualis?

OED. Hîc porro tandem malus appares amicus.

CR. Haud sane dices, si tu, ut ego, rationem subducere velis. Considera hoc primum, an quemquam putes regnare malle cum terroribus, quam sine metu dormire, si potentiam obtineat eamdem. Ego sane neque ipse cupio rex esse magis, quam quæ regis sunt facere, nec alius, quisquis modestus esse novit. Nam nunc quidem a te omnia absque metu consequor; at si ipse rex essem, multa invitus facerem. Quî mihi ergo regnum dulcius esse possit quam principatus securus et potentia? nondum adeo animi falsus sum, ut alia quam utilitati conjuncta expetam bona. Nunc omnibus oblector, nunc me quisque amplectitur: nunc qui abs te aliquid cupiunt, precatorem me advocant; ut enim cujusvis voti compotes fiant, in manu mea est. Cur, obsecro, regnum captarem, omissis his commodis? Mens recta sapiens prava consilia nunquam agitaverit. Sed nec me eorum quæ tu dicis ulla incessit cupido, nec, si quis operam suam conferret, id unquam sustinerem aggredi. Atque horum tibi documenta dabo: ac primo quidem Delphos profectus exquire an tibi oraculum accurate renuntiaverim; tum vero si me cum aruspice consilii quid communicasse deprehenderis, occidas me, non simplice, sed gemino, meo tuoque damnatum calculo. Incertâ autem suspicione ne me privatim accuses. Non enim justum est neque

malos temere censeri bonos, neque bonos malos. Sed enim fidelem amicum ejicere, haud minus grave esse dico, quam si quis suam projiciat vitam, quam maxime diligit. At cum tempore scies hæc certo: nam tempus solum, qui vir bonus sit, ostendit; malum vero vel una die cognoveris.

CH. Recte hæc dicta esse fateberis, ô Rex, si caves ne labaris: tuti non sunt qui subita ineunt consilia.

OED. Ubi quis celer est insidias clam struere, et me celeriter consilium capere oportet: si enim quietus manebo, ille sua confecerit, mea autem erunt frustranea.

CR. Quid igitur postulas? an me ex urbe pellere?

OED. Minime. Mori, non exsulare te volo.

CR. Fiet: sed postquam ostenderis quid in me sit tanto hoc tuo odio dignum.

OED. Ut non cessurus mihi neque obtemperaturus dicis?

CR. Video enim te non bene sapere.

OED. Sapio certe in rem meam.

CR. At æqualiter in meam sapere debes.

OED. At malus es.

CR. Quid, si rem non intelligas?

OED. Nihilo tamen minus imperabo.

CR. At non prava imperantis—

OED. O civitas, civitas!

CR. Sed particeps ego etiam sum hujus civitatis: non tua solius est.

CH. Desinite, reges: eccam enim opportune vobis video foras egredientem Jocasten, cujus opera rixam hanc componi oportet.

JOC. Quid inconsultum hoc, ô miseri, jurgium suscitastis, nec erubescitis, urbe tam graviter laborante, privata movere mala? non tu abis domum, tuque, Creon, tuas ad ædes? non cavebitis ne ex re nihili maximum producatis dolorem?

CR. Soror, atrocia mihi Œdipus tuus maritus facere parat, e duobus malis alterum eligens, aut ex urbe pellere, aut prehensum occidere.

OED. Fateor; namque eum, uxor, deprehendi malis artibus damnum mihi inferentem.

CR. Ne vita jam fruar, sed diris devotus peream, si tibi quid feci ex iis, quæ me fecisse criminaris.

JOC. O per Deos, crede ista, Œdipe, maxime quidem jusjurandum, cujus testes Deos advocat, reveritus, tum vero me quoque, et hosce qui adsunt tibi.

CH. Obtempera volens prudensque, ô rex, obsecro.

OED. Qua in re, quæso, vis me tibi morem gerere?

CH. Hunc neque olim dementem, nunc autem juramenti sanctitate munitum, reverere.

OED. Scin' vero quid petis?

CH. Scio.

OED. Declara mihi ergo quod cogitas.

CH. Ut amicum, qui se jurisjurandi religione obstrinxit, incerti criminis reum ne peragas, causa haud cognita.



OED. Hoc jam scito, te, quum hoc cupis, nihil minus cupere mihi quam mortem aut exilium.

CH. Minime sane; Deorum omnium principem Deum Solem attestor. Sed Diis hominibusque invisus, pessimis exemplis peream, si quidquam hujus cogito. At mihi infelici animum excruciat patriæ calamitas, acerbiorque fiet miseria, si prioribus malis ista accedant a vobis orta.

OED. Abeat igitur ille, etiamsi me funditus perire oporteat, aut contemptum omnibus vi ex hac urbe ejici. Tua enim, non illius, miserabili oratione commoveor. At ille, ubicunque fuerit, odio habebitur.

CR. Gravate quidem et ingratiis tuis te cedere manifestum est: at quum ira deferbuerit, tu te ipsum oderis. Talia enim ingenia sibi ipsis merito sunt sane quam molesta.

OED. Quin igitur me dimittis, ac foras abis?

CR. Abibo, durum te et injustum expertus, hisce vero justus habitus.

CH. Mulier, quid cessas hunc intro abducere?

JOC. Postquam cognovero quid istud sit jurgii.

CH. Coorta est incerta suspicio de sermonibus: mordet autem animum vel falsa criminatio.

JOC. Ipsisne ab ambobus?

CH. Scilicet.

JOC. Et quis erat sermo?

CH. Satis mihi quidem, satis, in hac civitatis calamitate, videtur, ubi desiit contentio, ibi subsistere.

OED. Viden' quo progrediare, tametsi vir es bonus, quum cor meum frangis et hebetas?

CH. O rex, dixi quidem non semel tantum, scito me insipientem omnisque expertem consilii merito habitum iri, si me abs te segregem, qui caram meam patriam, e calamitatis fluctibus emergere non valentem, prospero cursu direxisti: ita nunc quoque, si potes, in tranquillum nos deducito.

JOC. Per Deos dic mihi quoque, ô rex, cujus rei gratia tantam iram conceperis.

OED. Dicam: tibi enim a me major quam ab istis habetur reverentia: ob Creontem, qualia in me machinatus est.

JOC. Dic, si aperti criminis postulans litem ei moves.

OED. Occisorem me esse dicit Laïi.

JOC. An ut qui id ipse compererit, an ut qui audierit ex alio?

OED. Immo vatem scelestum immittens, quippe quem sciat nunquam sibi temperare quo minus quidquid in mentem venerit impudenter effutiat.

JOC. At tu, omissa omni de istis, quæ dicere instituisti, cura, monitis meis, quæso, animum adverte, et disce mortalem esse neminem, qui divinandi artem vel minimum attingat. Quod quidem exemplis tibi confirmabo, remque in pauca conferam. Laïo enim oraculum editum fuit olim, haud dicam Apolline ab ipso, sed ab ejus famulis, illi in fatis esse, ut a filio qui ex me illoque

natus foret, occideretur. Atque illum quidem peregrini latrones, ut fama est, interfecerunt olim in trivio: puer autem ut natus est, vix tres intercesserunt dies, atque illum pater, articulis pedum ligatis, projiciendum famulis mandavit in avio monte. Et ibi Apollo effectum non dedit, nec ut ille occisor fieret patris, nec ut Laïus acerba, quam a filio metuebat, nece absumeretur. Talia tamen præfinierant fatidicæ dictiones, quarum tu rationem nullam habeas: si quam enim rem Deus investigari voluerit, ipse illam facile manifestaverit.

OED. Quam mihi, ô mulier, istis auditis, fluctuat animus, pectusque concutitur metu!

JOC. Quanam rursus cura solicitatus hoc dicis?

OED. Videor abs te audiisse Laïum occisum fuisse in trivio.

JOC. Scilicet ita ferebatur, necdum hæc fama desiit.

OED. Et ubi est locus, in quo casus ille accidit?

JOC. Phocis quidem vocatur terra: scissa autem via in unum a Delphis et a Daulia coit.

OED. Quamdiu vero est, ex quo ista facta sunt?

JOC. Paulo ante quam hujus urbis regnum adeptus es, civitati hæc renuntiata sunt.

OED. O Jupiter, quid me facere decrevisti?

JOC. Quæ hæc tibi cura animum mordet, Œdipe?

OED. Nondum percontare: verum dic mihi, qua forma fuit Laïus, qua tunc erat ætate?

JOC. Procero fuit corpore, tumque caput ei prima canitie signabatur: forma autem tibi non admodum dissimilis erat.

OED. Væ mihi misero! meipsum, ut videtur, atrocibus exsecrationibus objeci modo insciens.

JOC. Quid ais, obsecro? timeo sane te intuens, ô rex.

OED. Nimis male formido, ne oculatus ille sit vates: monstrabis autem clarius, si unum adhuc dixeris.

JOC. Paveo equidem; tamen quæ rogabis, si sciam, dicam.

OED. Faciebatne cum paucis comitibus iter, an magna satellitum manu, ut viri solent principes?

JOC. Quinque erant simul omnes, et inter hos præco: rheda autem una Laïum vehebat.

OED. Heu, heu! hæc jam perspicua sunt: sed quis fuit, quæso, conjux, qui vobis hæc facta retulit?

JOC. Unus e famulis, qui solus evasit incolumis.

OED. Adestne nunc domi?

JOC. Minime sane: nam ex quo inde rediit, et regnum te vidit potiri, Laïumque mortuum, impense me obsecravit, mea prensa manu, ut rus se mitterem ad pascendos greges, quo urbis hujus a conspectu esset quam remotissimus. Adeoque illum ablegavi: dignus enim erat ille servus qui vel majus hoc auferret beneficium.

OED. Qui fieri possit, ut nobis quam celerrime se rursus exhibeat?

JOC. Res in promptu est; sed qua gratia hoc expetis?

OED. Metuo, mulier, ne multa nimis dicta sint mihi, ob quæ eum cernere volo.

JOC. Sed veniet ille quidem: interea vero digna videor esse, cui ea concredas, quæ te male habent, ô rex.

OED. Nec hoc tibi denegabo, quum in tantam exspectationem sim erectus: cui enim potiori indicarem quam tibi, quandoquidem talis mihi fortuna contigit? Mihi pater quidem erat Polybus Corinthius, mater autem Merope Dorica; habebarque inter Corinthios cives vir maximus, antequam casus mihi talis accidit, dignus quidem admiratione, non tamen tanta, quantam mihi injecit, solicitudine. Namque in convivio vir quidam plus potus nothum me subdititiumque patri vocat inter pocula. Idque ego ægre ferens, ea ipsa die vix me continui: postridie vero matrem patremque conveni, remque ex illis quæsivi: at illi audito hoc probro, indignatione exarserunt contra eum qui dictum emiserat. Et ego quidem eorum sermone delectabar; tamen urebat me semper hoc dictum; alta enim mente infixum hærebat. Proinde clam patre et matre proficiscor Delphos: et me quidem Apollo dimisit sine ullo responso ad ea quorum gratia veneram, alia autem misera et atrocia et luctuosa aperte prædixit, fore ut matri concumberem, sobolemque odiosam et intolerabilem hominibus producerem in lucem, patremque, qui me genuisset occiderem. Et ego, his auditis, Corinthiæ terræ valedicens, solisque ex astris posthac conjecturam facturus, quam longe ab ea recessissem, fugere decrevi, donec eo pervenirem, ubi nunquam scelera et dedecora admittere possem, quæ tristia præmonstrarent oracula. Iter autem faciens, adeo locos illos ipsos, ubi regem hunc periisse dicis: tibique, uxor, verum eloquar. Quum iter pergerem prope illud trivium, ibi obviam mihi simul venere præcoque et vir, qualem tu ais, equis juncta rheda vectus, et e via me rectorque rhedæ et ipse senex submovere voluerunt: tunc ego aurigam, qui me trudebat, percutio iratus: at senex, ubi me videt prope vehiculum incedentem, observans, medium caput duplici stimulo mihi ferit. Non quidem par tulit pari relatum; sed confestim scipione percussus ab hac manu, supinus media ex rheda statim devolvitur: perimo quoque universos simul. Si autem ignoto illi viro aliquid cum Laïo commune est, quis me est miserior? quisnam esse possit magis invisus Diis? quem nulli hospitum neque civium licet domo recipere, neque alloqui; sed ab ædibus pellere jubentur: atque alius nemo fuit, quam ego, qui mihimet diras has imprecatus sum. Torum autem mortui meis ipsius manibus contamino, per quas periit. Nonne sceleratus sum? nonne totus impuratus? quandoquidem exsulare me oportet, mihique exsulanti nec meos fas est videre, nec in patriam pedem ferre; aut matri meæ connubio jungi me oportet, et patrem occidere Polybum, qui me genuit et educavit. Nonne qui ab immiti dæmone hæc mihi destinata judicaret, recte sentiret? Ne, quæso, ne, ô Deorum sancta numina, videam hunc diem; sed prius ex mortalium oculis evanescam, quam contigisse mihi videam casum tam fœdæ labis.

CH. Hæc quidem nobis, ô rex, tristia sunt: sed donec rem ex præsente cognoveris, ne desperes.

OED. Id reliquum sane est adhuc mihi spei, pastorem illum ut exspectem solum.

JOC. Ubi vero aderit, quî fies confidentior?

OED. Hoc te docebo: si enim comperietur dicere eadem quæ tu, tunc ego crimen omne effugero.

JOC. Quid vero ex me audisti, in quo momenti sit tantum?

OED. Illum dicebas retulisse, Laïum a latronibus occisum fuisse. Quod si nunc quoque eumdem dicet numerum, haud sane eum ego occidi: non enim fieri potest ut unus quilibet pro pluribus habeatur. Sed si virum unum solum dicet, tunc manifestum erit facinus illud ad me vergere.

JOC. At scito rem ab illo sic nuntiatam fuisse, nec fas est ei quod semel dixit mutare. Civitas enim tota hæc audiit, non ego sola. Porro a priore si quid deflecteret sermone, non tamen Laïi cædem certo ut debuit, congruenterque oraculo contigisse ostenderet, siquidem eum Apollo declaravit gnati mei manu periturum omnino. Atqui eum misellus ille neutiquam occidit, sed ipse interiit prior. Quocirca vaticiniorum gratia neque huc neque rursus illuc respexerim.

OED. Recte putas: attamen mitte aliquem, qui rure arcessat operarium, et ne omiseris.

JOC. Mittam ocius: sed eamus intro: nihil enim faciam, nisi quod tibi gratum fuerit.

CH. Utinam perpetua mihi contingat felicitas, venerandam servanti sanctitatem verbis et factis omnibus, de quibus propositæ sunt leges sublimes, cœlesti in æthere genitæ, quarum Olympus pater est solus, neque eas mortale genus hominum peperit, neque sane unquam oblivio delebit. Magnus in his inest Deus, neque senio marcescit. Regalis fastus Injuriam parit: rex, ubi temere multis se exsatiavit, quæ nec opportuna nec utilia sunt, illum Injuria summo et abrupto in fastigio impositum, in exitium impellit, unde frustra conatur aufugere. Quod autem urbi salutare futurum est consilium, hoc ne irritum fieri sinat, Deum oro: Deo non desinam unquam præside niti. Si quis autem factis dictisve insolenter se gerit, ultricem Justitiam non veritus, nec Divûm sedes venerans, male ille pereat, luatque pœnas infaustarum delitiarum, si justis non studebit lucris, nec ab impiis abstinebit factis, aut non tangendis manus inferet demens. Quis enim unquam vir istis deditus ab animo stimulos conscientiæ arcere poterit? Namque si hæc impia facta honorem inveniunt, quid me juvat sacris interesse choris? Non amplius ibo ad sacrum terræ umbilicum venerandi gratia, nec ad delubrum quod est Abis, nec Olympiam, nisi hæc oracula omnibus mortalibus probabuntur. Sed ô qui imperas, si rite vocaris omnium rector, Jupiter, ne hæc lateant te tuumque immortale semper regnum. Res enim eo redit, ut spernant oracula olim Laïo reddita, nec eis amplius fidem adhibeant: nuspiam Apollo splendet honoribus; pessum eunt divina.

JOC. O urbis hujus principes, in mentem mihi venit Deorum adire templa, sumptis in manus hisce velamentis et thure. Nimis enim suspenso animo quarumque curarum æstu fluctuat Œdipus, nec, ut cordatum virum decet, nova ex veteribus colligit; sed cuivis se dat, si modo terrores nuntiet. Quando igitur admonendo nihil promoveo, ad te, ô Lycee Apollo, qui proximus ædibus nostris accolis, supplex venio hisce cum muneribus, ut piam aliquam solutionem des mali: nam torpemus jam omnes, perculsum illum cernentes, ut gubernatorem navis.

NUNT. Num a vobis, hospites, discere queam, ubi regis sit Œdipi domus? Quin magis ipse ubi sit dicite, si scitis.

CH. Hæ sunt quidem illius ædes, et ipse intus, ô hospes: mulier autem hæcce liberorum ejus mater.

NUNT. Utinam et ipsa beata sit, et cum beatis usque versetur, illius quum sit perfecta conjux!

JOC. Idem tibi contingat, hospes! dignus enim es bona ob verba: sed dic qua gratia venisti et quid nuntiaturus.

NUNT. Bona domuique et marito tuo, mulier.

JOC. Quænam illa sunt? et unde nobis advenis?

NUNT. E Corintho; quod autem dicturus sum, gratum tibi fore opinor: quidni enim? tamen et forsan dolebis.

JOC. Quid rei est? quamnam sic duplicem vim obtinet?

NUNT. Regem creabunt Œdipum terræ Isthmiæ incolæ, ut illic ferebatur.

JOC. Quid vero? annon senex Polybus regno potitur adhuc?

NUNT. Non sane, quandoquidem illum mors in sepulcrum condidit.

JOC. Quid narras? an mortuus est Polybus?

NUNT. Si non vera dico, mori non recuso.

JOC. Famula, quid cessas introire, et hæc quam celerrime hero dicere? O Deorum oracula ubi estis? hunc virum ne occideret metuens olim Œdipus e patria profugit: et nunc ille fato suo interiit, nec ab Œdipo omnino.

OED. O carissimum conjugis Jocastæ caput, quid me foras huc evocasti?

JOC. Audi hunc virum, et quum audieris, considera veneranda quo cesserunt Dei oracula.

OED. At hic quis est tandem? et quid affert mihi?

JOC. Venit e Corintho, patrem tuum nuntiaturus non amplius vivere Polybum, sed mortuum esse.

OED. Quid dicis, hospes? tu ipse mihi rem significa.

NUNT. Si hoc primum oportet me diserte dicere, pro certo scias, eum vita cum morte commutata ad plures abiisse.

OED. Dolusne eum sustulit, an in morbum incidit?

NUNT. Senilia corpora leve momentum sternere leto solet.

OED. Morbo, ut videtur, absumptus est miser.

NUNT. Ita sane, et longo, quod vivendo emensus est, tempore.

OED. Vah, vah! quid ergo, uxor, respiciat aliquis fatidicas Delphis aras, aut in aëre clangentes alites, quibus auctoribus ego

perempturus eram patrem meum? Ille vero exstinctus conditus est sub terra: at ego qui hîc sum ensem in eum non strinxi: nisi forte mei desiderio contabuit, adeoque sic a me occisus dici possit. Ergo jacet apud inferos Polybus, abstulitque secum quæcunque edita fuerant nullius pretii oracula.

JOC. Annon ego ista tibi prædixi pridem?

OED. Dicebas quidem; at ego metu transversus agebar.

JOC. Ne ergo quicquam horum posthac in animum inducas.

OED. Quî vero thalamum matris vereri desistam?

JOC. Quid metuat homo, quum res humanas omnes verset Fortuna, nullius autem rei providentia certa sit? optimum est temere vivere, ut quisque possit. Tu vero ne metuas cum matre congressus: multi enim jam in somniis homines sibi visi sunt cum matre corpus miscere. Sed ista qui nihili esse ducit, facillime vitam agit.

OED. Recte hæc omnia tibi dicta forent, nisi viveret adhuc mater mea: at quando superest, quamvis recte loquaris, fieri non potest quin timeam.

JOC. Atqui magnum argumentum est sepulcrum patris.

OED. Magnum, intelligo: attamen dum vivit illa, est cur metuam.

NUNT. Quæso, quænam est illa mulier, quæ vobis terrorem injicit?

OED. Merope, ô senex, quæ cum Polybo nupta fuit.

NUNT. Quid est autem cur illam metuatis?

OED. Divinum oraculum, ô hospes, idque horribile.

NUNT. Potestne dici, an nefas est quemvis alium scire?

OED. Maxime: dixit enim Apollo olim me cum mea ipsius matre concubiturum, et sanguinem paternum manibus meis hausturum. Quapropter jam olim a Corintho procul habitare cœpi: feliciter sane; sed tamen parentum conspectu frui suavissimum est.

NUNT. Numnam istorum ob metum illinc abiisti exsul?

OED. Tum etiam ut patris ne fierem occisor, senex.

NUNT. Quidni ergo te, ô rex, ab hoc timore libero, siquidem benevolo erga te sum animo?

OED. Sane condignam tibi referrem gratiam.

NUNT. Atqui hanc maxime ob causam veni, ut, ubi domum reversus fueris, aliquid mihi facias boni.

OED. At nunquam parentes meos conveniam.

NUNT. O fili, manifeste apparet, te nescire quod agis.

OED. Quomodo, ô senex? per Deos doce me.

NUNT. Si horum gratia a domo refugis.

OED. Metuo utique ne mihi Apollo evadat veridicus.

NUNT. Num ne quid piaculi a parentibus contrahas?

OED. Hoc ipsum, senex, hoc me semper territat.

NUNT. Nostin', amabo, nullam esse cur timeas causam?

OED. Quidni vero, siquidem his parentibus natus sum?

NUNT. Quia genere tibi nullo modo conjunctus fuit Polybus.

OED. Quid narras? annon Polybus me genuit?

NUNT. Tantumdem ut ego, et nihilo magis.

OED. At quomodo genuisse et non genuisse idem sit?

NUNT. At neque te genuit ille, nec ego.

OED. Quare igitur filium me nominabat suum?

NUNT. Quia te olim a manibus meis dono acceperat; hoc scias.

OED. Et adeo dilexit acceptum ab aliena manu?

NUNT. Scilicet quia dudum carebat liberis.

OED. Tu vero emptum me aliunde, an genitum ex te ei dedisti?

NUNT. Inventum nemorosis Cithæronis in recessibus.

OED. Quanam vero gratia locos illos adibas?

NUNT. Ibi montanis gregibus præfectus eram.

OED. Pastor itaque eras mercenarius erraticam vitam degens.

NUNT. Tuus quidem, ô nate, servator illo tempore.

OED. Quid mihi in illa calamitate acciderat mali, quum me sustulisti?

NUNT. Id articuli pedum tuorum indicare possint.

OED. Hei mihi! quid hoc vetus commemoras malum?

NUNT. Vinctos loro trajecto solvi tuos pedes.

OED. Monumenta sane illa nactus sum, quibus non est quod glorier.

NUNT. Ita ut ab hoc casu nomen sortitus sis, quod habes.

OED. O per Deos, patrisne an matris jussu expositus fui? dic mihi.

NUNT. Nescio: qui te dedit mihi, melius hoc noverit.

OED. An ergo ab alio me accepisti, nec ipse invenisti?

NUNT. Non; sed pastor alius tradidit mihi.

OED. Quis ille? potin' es mihi hoc declarare?

NUNT. Quidam ex familia Laïi dicebatur esse.

OED. An ejus, qui hujus urbis rex olim fuit?

NUNT. Maxime: hujus viri ille erat pastor.

OED. An vivit ille adhuc, ut videre eum queam?

NUNT. Id vos hujus urbis incolæ optime scire potestis.

OED. Vestrûmne aliquis est, qui hîc adestis, qui pastorem illum noverit, quem hic memorat, seu ruri eum, seu hîc in urbe conspicatus? Indicate; nam hæc retegi tempus postulat.

CH. Arbitror equidem neminem alium esse, quam rusticum illum, quem tu modo cupiebas videre: verum hoc omnium optime Jocasta dixerit.

OED. Uxor, cogitasne illum quem modo venire jussimus, eundem esse quem hic dicit?

JOC. Quis autem, quem dixit? ne sis sollicitus, temereque dicta ne meminisse velis.

OED. Nequaquam fiet, ut, quum ego ceperim indicia tanta, manifestum non reddam quibus ex parentibus ortus sim.

JOC. Ne, per Deos, si qua tibi vitæ tuæ cura est, hoc exquiras. Satis sit me afflictam esse.

OED. Bono animo es: tu enim, etsi a tertia inde usque matre apparuero tripliciter servus, nihilo deterior eris.

JOC. Tamen obtempera mihi, obsecro: ne hoc facias.

OED. Non obtemperabo, quin ista exquiram certo.

JOC. Atqui benevolo erga te animo, quæ optima sunt, tibi suadeo.

OED. Sed optima illa dudum mihi molesta sunt.

JOC. O infauste, utinam nunquam resciscas, qui sis!

OED. Ocius mihi aliquis pastorem huc adducat: hanc autem sinite opulento gaudere genere.

JOC. Heu, heu, miser! hoc enim solum est, quo te nunc compellem, nec quidquam aliud a me posthac audies.

CH. Quid, Œdipe, sic uxor abiit, acri concita dolore? metuo, ne ex hoc silentio erumpant mala.

OED. Quidquid volet, erumpat; at ego natales meos, etiamsi obscuri sint, cognoscere volam. Illam, quippe quæ, ut mulier, spiritus altos gerit, pudet forte ignobilis generis mei. Ego vero me Fortunæ filium esse ratus, quæ mihi prospera est, infamiæ non subibo notam. Hac enim matre natus sum; cognati autem menses parvis me magnisque distinxerunt rebus. Tali autem quum sim origine, fieri non potest, ut adeo diversus deprehendar, ut natales meos investigasse nolim.

CH. Si quid ego conjectura auguror, nec me fallit animus, non te, Cithæron, Olympum testor, non te latebit, simul ac crastina dies splendidum extollet jubar, ut te venerabimur tanquam popularem et altorem et parentem Œdipi, choreisque celebrabere nostris, ob beneficium quo reges meos affeceris. Ista tibi, malorum depulsor Apollo, ista sint placita! Quis te, fili, quis te genuit immortalium? num qua Nympha cum Pane montivago congressa, aut cum Apolline? gaudet enim hic etiam nemorosis jugis. An te Cyllenes rex, an Bacchus summos qui colit montes, accepit inventum ab aliqua Nympharum Heliconiadum, quicum ludere solet?

OED. Si me par est, ô senex, conjecturam facere de homine, cui nihil unquam mecum fuit commercii, quem quærimus dudum, pastorem videre mihi videor. Congruit enim senilis ætas; huicque viro æqualis est: maxime vero eos, a quibus adducitur, ut famulos meos agnosco. Sed tu certius hoc noveris, qui forte pastorem illum antea videris.

CH. Novi scilicet, certa res est. Nam vir fuit Laïo, si quis alius, fidus, ut pastorem decet.

OED. Te primum rogo, Corinthie hospes, num hunc dicis?

NUNT. Hunc ipsum, quem intueris.

OED. Heus tu senex, adspice me contra oculis, et responde mihi ad ea quæ te rogabo. Tune eras olim Laïi?

FAM. Servus eram, non emptus, sed domi educatus verna.

OED. Quodnam procurabas opus, quodve fuit tuum vitæ genus?

FAM. Greges pascendo maximam vitæ partem transegi.

OED. Quænam incolebas maxime loca?

FAM. Modo Cithæronem, modo vicinos saltus.

OED. Meministin' ergo hunc virum illic cognovisse?

FAM. Quid rei agentem? ecquem mihi refers virum?

OED. Huncce, qui adest. Aut aliquid cum eo habuisse commercii?

FAM. Non ita, ut subito possim memoriter dicere,

NUNT. Neque hoc mirum est, here. Sed quæ excidere, jam ei clare in memoriam reducam. Nam satis scio illum meminisse, quando in Cithæronis locis, ubi ille duos, ego unum pascebam gregem, conversatus est mecum tres totos menses a vere adulto ad Arcturi occasum; hieme autem jam imminente, meam ego in casam pecus coëgi, ille autem jam in Laïi stabula. Ecquid eorum quæ dico, sic factum est, anne?

FAM. Vera dicis, etsi a longo tempore.

NUNT. Age, dic jam: meministine, te puerum mihi tunc quemdam dedisse, quem educarem ut peculiarem mihi?

FAM. Quid est? quamobrem tu istuc inquiris?

NUNT. Hic ipse est, amice, qui tunc erat puer.

FAM. I in malam crucem. Quin taces?

OED. Ah, virum hunc ne castiga, senex: tua enim magis, quam illius, dicta castigatore egent.

FAM. Quid vero, optime here, peccavi?

OED. Quia de puero nihil indicas, quem ille inquirit.

FAM. Nescit enim quod dicit, et temere ista movet.

OED. Tu bona cum gratia non dices, sed malo hercle tuo dices.

FAM. Ne, per Deos obsecro, senem me verberato.

OED. Non aliquis ocius retortas tergo manus hujus ligabit?

FAM. Infelix ego! sed quare? quid nosse vis?

OED. Puerumne huic dedisti, de quo ille inquirit?

FAM. Dedi. Utinam vero periissem hac ipsa die!

OED. At eo res tibi redibit, nisi verum dixeris.

FAM. Multo etiam magis, si dixero, peribo.

OED. Vir hic, ut videtur, moras quærit.

FAM. Haud sane ego: nam dudum dixi me dedisse.

OED. Unde acceptum? tuumne, an cujusvis alius?

FAM. Haud equidem meum dedi: sed a quodam acceperam.

OED. Quonam ab cive hujus urbis, et a qua domo?

FAM. Ne, per Deos, ne, here, plura sciscitare.

OED. Periisti, si hæc iterum te rogabo.

FAM. Ergo quidam erat ex familia Laïi.

OED. Num servus, aut quis erat ex illius genere?

FAM. Væ mihi! jam eo res rediit, ut horrendum malum mihi dicendum sit.

OED. Et mihi audiendum: attamen audire certum est.

FAM. Illius quidem profecto filius dicebatur esse: quæ vero domi est tua uxor optime dixerit, ut se hæc habeant.

OED. An ergo ipsa tibi puerum tradidit?

FAM. Scilicet, ô rex.

OED. Qua gratia?

FAM. Ut eum interficerem.

OED. Ipsane, quæ pepererat, misera?

FAM. Tristium oraculorum metu.

OED. Quorumnam?

FAM. Daturum eum neci suos parentes prædictum fuerat.

OED. Cur igitur huic seni puerum tu dedisti?

FAM. Miseritus, here; et quia illum credidi in aliam regionem, unde ipse erat, ablaturum puerum: at ille mala ad maxima servavit. Si enim is es, quem hic dicit, scito te infelicem esse.

OED. Hei, hei! omnia jam evadent manifesta. O lux, ultimum te nunc videam! qui aperte natus sum e quibus non oportuit, cumque quibus non oportet, consuesco, et quos non oportuit interfeci.

CH. Heu, genera mortalium, quam vos, quamdiu vivitis, eodem in loco, quo nihil, numero! Quis enim, quis homo plus felicitatis obtinet, quam quantum opinione concipit? eamque quum concepit, tamen corruit. Tuum igitur exemplum habens, tuam fortunam, tuam, inquam, ô infelix Œdipe, mortalium neminem beatum prædico; qui mira ingenii solertia ad summum felicitatis culmen evectus es; ô Jupiter! qui perempta curvis unguibus rapace virgine, perplexi carminis vate, contra civium cædes propugnaculum patriæ meæ exstitisti, unde rex meus vocaris, et maximos honores adeptus es, magnis in Thebis imperium obtinens. Nunc autem, ut audio, quis te miserior? quis in ærumnis, quis immani in noxa æque demersus vitæ vicissitudine? O inclytum Œdipi caput! cui unus et idem suffecit portus, quo filius et pater et sponsus exciperetis. Quomodo, quo tandem modo paterni te sulci ferre silentio potuere tam diu? Invitum te deprehendit omnia cernens tempus: damnat inauspicatas pridem nuptias genitoris simul et geniti. O Laïi progenies, utinam vidissem nunquam! te enim vehementer deploro magnis ejulatibus. Ut vera tamen dicam, recepique spiritum per te, et per te sopivi meos oculos.

INT. O hujus urbis dignitate principes, qualia facinora audietis? qualia et videbitis? quantumque haurietis luctum, siquidem serio adhuc vobis curæ est Labdacidarum domus? Credo enim neque Istrum, nec Phasin abluere atque expiare posse flagitia quæ in hac domo latent, quæque mox in lucem proferentur, sponte, nec ullo cogente, admissa. Malorum vero ea maxime dolent, quæ ultro arcessuntur.

CH. Deest quidem nihil, quin acerbissima sint, quæ prius rescivimus: ad illa vero quid ultra nuntias?

INT. Ut paucissimis et ego dicam, et vos intelligatis, interiit divum Jocaste caput.

CH. O multipliciter miseram? quænam illi causa mortis fuit?

INT. Sibimet ipsa. E factis autem quod maxime doleret, abest: non enim rem datur cernere. Tamen, quantum ego memoria teneo, audies illius miseræ casus acerbos.

Ut enim flagrans ira intra vestibulum se abripuit, recta contendit ad geniales thalamos, comas lacerans utraque manu: ubi autem intro concessit, occlusis foribus, invocavit Laïum jampri-

dem mortuum, antiquorum congressuum memoriam repetens, unde is ortus, a quo periisset ipse, se matrem relinquens suopte filio infandis nuptiis parituram liberos; deploravitque lectum, ubi duplici flagitio ex marito maritum, liberosque ex liberis peperisset. Quo vero deinde modo perierit, nescio. Clamore enim magno irrupit Œdipus, ob quem non licuit illius inspectare casum: sed in ipsum huc illuc cursitantem oculos intendimus. Impetu enim ferebatur, nos rogans ut gladium sibi daremus, et ubi conjugem non-conjugem, maternumque inveniret geminum arvum suique et liberorum. Furenti autem indicavit Deus nescio quis; nullus enim dixit homo eorum qui aderamus illi. Tum ille horribiliter exclamans, recta, tanquam si viam quis præmonstraret, geminas fores insultat calcibus, funditusque evellit cava claustra, atque in cubiculum irruit, ubi demum conspeximus pensilem mulierem, tortilibus suspendiis implicitam. Ille vero ubi eam videt, horrendum infremens miser, suspensam restim expedit. Sed postquam misera humi prostrata jacuit, visu horribilia consecuta sunt. Namque avulsis ab illius stola aureis fibulis quibus subnexa erat, illas attollens oculorum orbes sibi confodit, talia dicens: *illos neutiquam visuros nec quæ passus esset, nec quæ patrasset mala, sed tenebris mersos in posterum, quos non oporteat, visuros, quosque cuperet ipse, non agnituros.* Talia dum imprecatur, ingeminat plagas elevatis palpebris: simulque cruentæ pupulæ genas rigabant: nec raræ lenti sanguinis distillabant guttæ, sed ater lacrymarum imber cruoris mistus grandinibus effluebat. Atque ista a duobus, non ab uno tantum, exorta sunt mala, sed viri et uxoris commista calamitas. Antiqua autem felicitas olim quidem vero nomine felicitas appellabatur; at nunc hac ipsa die in gemitus, in noxam, in mortem, in dedecus conversa est: malorum quotquot sunt omnium nomina, nullum hîc abest.

CH. Nunc autem miser ille quo in malo versatur?

INT. Clamat ut claustra relaxentur, atque ostendat aliquis omnibus Cadmi civibus illum patris occisorem, illum matris—impia loquens, nec a me referenda: quippe qui certus sit semet ex hac terra ejicere, nec amplius manere domi, quibus ipse se devovit, diris obnoxius. Auxilio utique et ductore aliquo indiget: nam vis doloris major est, quam quæ tolerari possit. Ostendet autem et tibi: hujus enim januæ panduntur claustra: moxque spectaculum videbis ejusmodi, quod vel hosti misericordiam moveat.

CH. O atrox adspectu clades! ô atrocissima omnium, quas mihi videre unquam contigit! Quis te, ô miser, invasit furor? quis Deus majora maximis malis tuæ infelici sorti adjecit? heu, heu, infelix! Verum ne quidem intueri te possum, multa licet cupiam sciscitari, multa audire, multaque videre; talem mihi horrorem incutis.

OED. Hei, hei, hei, hei, heu, heu miser ego! ubi terrarum feror infelix? vox mihi quonam avolat in auras sublata? ô fortuna quonam evasisti?

CH. In horrendam calamitatem, auditu et visu trucem.

OED. O tenebrarum quibus me condidi caligo detestabilis, ut me involvis infinita, insuperabilis, et immedicabilis! hei mihi, hei mihi iterum! quam acres præsentium dolorum pungunt me simul aculei, et præteritorum malorum memoria!

CH. Nec sane mirum est, tot in malis duplicem te luctum et duplicia ferre mala.

OED. Io amice! Tu quidem constanti adhuc fide mihi famularis; sustines enim adhuc me cæcum curare. Vah! quippe me non lates; sed clare agnosco, quamvis tenebris obvolutus, tuam vocem tamen.

CH. O quam dira molitus es! quomodo sustinuisti sic oculos corrumpere? quis te impulit Deorum?

OED. Apollo, amici, Apollo is fuit, qui mala confecit mea, qui mihi hunc acerbum invexit casum. In oculos involavit mihi nemo; at ipse ego infelix eos confodi. Quid enim attinebat me videre, cui quidem videnti nihil erat visu suave?

CH. Ita est, quemadmodum tu dicis.

OED. Quid tandem, quæso, amici, superest mihi, quod aut videre, aut amare, aut cujus affatus accipere cum voluptate possim? Abducite me ex his locis quam celerrime, abducite, amici, pestem maximam, diris caput devotissimum, mortaliumque omnium invisissimum Diis.

CH. Infelix ob istum animum et calamitatem pariter! quam vellem nunquam agnovisses qui sis!

OED. Pereat, quicunque is fuit, qui projecto mihi silvestribus in pascuis sæva pedum solvit vincula, et a morte me liberatum servavit, nulla cum mea gratia! si enim tum periissem, non essem amicis, et mihi tanti doloris causa.

CH. Id factum et ego vellem.

OED. Tunc neque patris peremptor exstitissem, nec sponsus dicerer illius a qua natus sum. Nunc vero miser sum, impiorum filius, sobolem suscepi ex ea quæ me ipsum peperit: denique si quid usquam pejus est malo malum, id sortitus est Œdipus.

CH. Nescio quomodo tua laudem consilia: præstantius enim foret tibi non omnino esse, quam cæcum vivere.

OED. Ista quidem non optima ratione sic confecta esse, ne mihi demonstrare contende, neque consule amplius. Nescio etenim, si videns inferos adiissem, quibus oculis patrem coram intueri sustinuissem, quibus adeo miseram matrem, quos in duos atrociora admisi scelera, quam quæ suspendio lui possint. At, quæso, jucundum ne dices futurum fuisse mihi liberorum adspectum, eo quo progeniti sunt modo, in lucem editorum? haud sane oculis meis unquam. Nec urbem intueri possim, nec mœnia, nec Deorum sacra delubra, quibus miserrimus ego, solus virorum, qui Thebis versantur, me ipsum pulcherrime privavi, ipse prædicans ab omnibus expellendum esse impium illum, quem Dii ipsi impurum declarassent, et Laïi natum semine. Quam ego scelerum meorum labem quum ipse palam revelassem, rectisne oculis hosce intueri poteram? minime sane: sed et auditus fontes, sonique per aures

meatus si possent obstrui, non temperassem sic etiam obturare miserum meum corpus, ut cæcus simul et surdus essem: quippe sensu carere dulce est in malis. Io Cithæron, quare me suscepisti? cur non acceptum statim me peremisti, ut nunquam hominibus palam facerem unde natus essem? O Polybe et Corinthe, et patria terra, ut dicta es, antiqua domus, qualem me pulchritudinis speciem, malorum obductam ulceri, enutriistis! nunc enim et ipse malus, et ex malis natus deprehendor. O trivium, et abdita convallis, saltusque, et angustiæ in trium viarum compito, quæ paternum meum sanguinem meis ipsius a manibus bibistis, ecquid mei meministis adhuc, quale facinus apud vos patrarim, qualiaque deinde, postquam huc veni, commiserim rursus? O nuptiæ, nuptiæ, genuistis nos, et postquam genuistis, remisistis idem semen, et in lucem edidistis patres, fratres, liberos, sanguinem cognatum, sponsas, uxores, matresque, et quotquot inter homines turpissima censentur flagitia. Sed, quandoquidem loqui haud fas est, quæ factu turpia sunt, per Deos obsecro, quam celerrime me alicubi extra urbem occultate, vel occidite, vel in mare abjicite, ubi non amplius me videatis. Ite, miserum virum ne dedignemini manu contingere; obtemperate, ne formidetis: mea enim mala nullus valet præter me ferre mortalium.

CH. At eccum ad ea quæ petis commodum advenit Creon, penes quem est et facere et consulere, siquidem solus relictus est tui loco hujus urbis custos.

OED. Hei mihi! quonam sermone eum compellabo? quæ mihi apud eum merito fides esse possit, qui prius in eum omnimodis repertus sum injurius?

CR. Non ut derisor, Œdipe, veni, nec ut quidquam tibi exprobrem priorum tuarum calamitatum. Sed si mortalium non reveremini genus, saltem supremi Solis omnium altricem flammam vereamini, ne tale piaculum sic apertum exhibeatis, quod neque terra, nec cœlestis imber, neque lux ipsa perferet. Sed quam celerrime hunc intro abducite. Cognatos enim cognatorum mala maxime videre, solosque audire, fas et æquum postulant.

OED. Per Deos, quandoquidem meam de te opinionem fefellisti, qui vir optimus veneris ad me virum pessimum, obtempera mihi: e re enim tua, non e mea, loquar.

CR. Et quidnam est, quod me tam enixe petis?

OED. Ejice me ex hac terra, quam ocissime, ut sim ubi mortalium neminem possim alloqui.

CR. Fecissem utique, ne nescias, nisi prius a Deo exquirere vellem, quid facto opus sit.

OED. At illius omnis patet dictio, nempe oportere parricidam me impiumque perimere.

CR. Sic quidem ista dicta sunt: attamen, ut præsens est rerum status, melius est quærere quid sit faciendum.

OED. Itane ergo de infelici homine Deum consuletis?

CR. Etenim præsens tua fortuna fidem Deo conciliare possit.

OED. Tibi vero mando, teque adhortor, ut eam quæ intus jacet, ut tibi videbitur, sepeliri cures: hoc enim te tuis officium

præstare decet. Me vero non est ut postulet paterna hæc urbs viventem incolam habere: sed sine me habitare in montibus, ubi meus dicitur Cithæron ille, quem viventi mihi proprium sepulcrum mater constituit et pater, ut, sicut illi me morti destinaverunt, moriar. Quamquam satis certe scio, me neque morbo, neque alio quovis modo periturum fuisse: non enim unquam morti jam traditus, ereptus liberatusque fuissem, nisi ad aliquod atrox malum essem reservatus. Sed fatum meum quo ire cœpit, eat. Liberorum autem meorum, marium quidem ne mihi, Creon, curam suscipe: viri sunt: proinde, ubicunque futuri sint, victus penuria non laborabunt: at infelices miserandasque meas filias, quibus nunquam seorsum a me mensa apposita fuit; sed quodcunque ego attingebam cibi, ejus et illæ partem accipiebant semper, has tibi curæ esse volo: maximeque te rogo, ut mihi permittas manibus meis eas contingere, earumque coram deplorare infortunia. Age, permitte, ô rex, age, ô generosa stirpe edite; manibus si contingam, ita tenere eas mihi videbor, ut quum visu fruerer. Quid dicam? anne carissimas filias audio fletus fundentes, meique misertus Creon dulcissima mihi misit sobolis meæ pignora? Verumne dico?

CR. Dicis profecto: ipse enim ego hæc tibi præbeo, sciens quam dudum hujus oblectamenti desiderio tenearis.

OED. At tibi prospera omnia eveniant, et te studium ob hoc Deus melius custodiat quam me! O filiæ, ubinam estis? huc adeste, venite ad hasce meas fraternas manus, quæ genitoris vestri nitentes prius oculos, ita uti nunc videtis, concinnarunt: qui vobis, ô gnatæ, re nec visa nec cognita, genitor exstiti unde ipse genitus fueram. Enimvero vos deploro, tametsi intueri non possum, cogitans quam acerba futura sit vita, quæ vobis inter homines degenda superest. Quos enim civium adibitis cœtus, quæ festa, unde non ipsæ vice spectaculi defletæ domum reversuræ sitis? Ast ubi jam ad nubilem veneritis ætatem, quis ille erit, quis audebit, ô gnatæ, tot et tanta suscipere dedecora, quæ generi inhærent meo, parentibus vestris vobisque simul exitialia? Quid enim malorum abest? patrem pater vester peremit suum; corpus miscuit cum matre, unde ipse satus erat, et ex iisdem suscepit vos, unde ipse natus est. Hæc audietis probra. Itane vos quisquam ducet domum? nemo futurus est, ô gnatæ; sed videlicet incultas vos innuptasque male perire necesse erit. At, ô fili Menœcei, quando quidem solus tu illis relictus es pater, (nos etenim, qui genuimus, ambo periimus,) ne eas patiare mendicas, conjugii expertes, huc illuc errantes, quum tuæ cognatæ sint; nec pari eas mecum premi calamitate velis: at miserere earum, quas tantillas vides, omnique destitutas præsidio, præterquam quod ad te attinet. Annue, ô generose, daque fidem manu. Vos autem, ô filiæ, si per ætatem intelligere possetis, multis commonerem: nunc vero hoc a me votum habetote, ut, ubicunque opportunum erit, transigatis ævum, vitæque meliorem sortem nanciscamini, quam qui vos genuit pater.

CR. Satis est. Nam quo te luctus abripit? Quin intra domum.

OED. Parendum est, etsi jucundum non est quod jubes.

CR. Omnia enim tempestiva pulchra sunt.

OED. Scin ergo qua conditione ibo?

CR. Dices, tuncque sciam, quum audiero.

OED. Ut terræ hujus finibus procul me extermines.

CR. Quod a me petis, in Deo situm est.

OED. At Deis, si quis alius, invisus sum ego.

CR. Proinde consequeris id ociter.

OED. Verumne dicis?

CR. Quippini? quod enim non sentio, haud loqui soleo temere.

OED. Jam ergo me hinc abduc.

CR. Vade igitur amissis puellis.

OED. Ne quæso illas a me divelle.

CR. Ne obtinere cuncta postules: nam quæ obtinuisti antehac, non tibi in commodum vitæ cesserunt.

CH. O patriæ Thebæ incolæ, adspicite; hic Œdipus qui fama celebrata solvit ænigmata, optimusque vir fuit, qui non favorem civium nec fortunas respexit, in quantam procellam diræ calamitatis incidit. Quare observans donec supremum illum diem videris, neminem qui mortalis natus sit beatum prædices, priusquam vitæ terminum transierit, nihil triste passus.

SOPHOCLIS

ŒDIPUS COLONEUS.

DRAMATIS PERSONÆ.

ŒDIPUS.

ANTIGONE.

HOSPES.

CHORUS ATTICORUM SENUM.

ISMENE.

THESEUS.

CREON.

POLYNICES.

NUNTIUS.

SOPHOCLIS

ŒDIPUS COLONEUS.

OED. CÆCI senis filia Antigone, quænam ad loca, quorumve hominum ad urbem pervenimus? Quis erronem Œdipum hodie exiguis excipiet donis, modicum petentem, et adhuc modico minus accipientem, eoque tamen contentum? Namque me ærumnæ, et longa ætas, tertioque loco generosa animi indoles hæc boni docent consulere. Sed, ô filia, si quem hominem vides vel profana in exedra sedentem, vel sacro in luco, siste me et colloca, ut percontemur quo tandem in loco simus. Peregrini enim venimus, ut a civibus edocti, quod facto opus sit, exsequamur.

ANT. O calamitose pater Œdipe, turres quæ cingunt oppidum, quantum videre licet, procul sunt: locus autem hic sacer est, ut manifestis ex indiciis colligo, quippe qui lauro, olea et vitibus crebris consitus est; intus vero frequentes luscinias dulces ore fundunt sonos. Huc conside in hoc rudi saxo; longiorem enim quam pro sene confecisti viam.

OED. Colloca nunc me et custodi cæcum.

ANT. Satis longa consuetudine assuevi hoc facere, ut me moneri opus non sit.

OED. Potesne, quæso, certum me facere, quo loco constiterimus.

ANT. Athenas quidem novi; sed locum hunc ignoro. Illud enim nobis dixit rogatus quivis viator. Sed quis hic locus sit, visne ut progressa exquiram?

OED. Admodum, filia; idque maxime, num sit habitabilis.

ANT. Atqui habitatus est. Sed abire me non opus esse arbitror: eccum enim virum prope nos video.

OED. Accedentemne huc et festinantem?

ANT. Quin jam præsentem. Itaque quidquid e re tua videbitur, proloquere; nam vir adest, quem dixi.

OED. O hospes, postquam ex hac audivi, quæ pro me et pro se videt, te opportunum advenire speculatorem, qui ea nobis expedias, de quibus incerti sumus—

HOS. Priusquam plura sciscitaris, ex ista sede abi: nam tenes locum, quo intrare nefas est.

OED. Quis ergo locus est? Cui Deorum sacer est?

HOS. Quem neque tangere, nec habitare fas est. Terribiles enim eum tenent Deæ, Terræ et Erebi filiæ.

OED. Quasnam, audito venerando nomine, invocaverim?

HOS. Omnia cernentes Eumenidas eas appellare solet hic populus; sed alia alibi placent.

OED. Utinam ergo propitiæ me accipiant! quippe ex hoc loco non excessero unquam.

HOS. Quid hoc rei est?

OED. Signum ad fortunas meas pertinens.

HOS. Haud sane privatim te ex hoc loco abigere ausim: sed re ad cives delata rogabo quid facto opus sit.

OED. At per Deos te obsecro, hospes, ne me talem mendicum ita despicatui habeas, ut nolis mihi declarare, quæ te enixe rogo.

HOS. Significa quid velis; non enim a me contemptus eris.

OED. Quis hic locus est, obsecro, in quo constitimus?

HOS. Quæ quidem ego scio, ex me audies omnia. Locus hic quidem totus sacer est; tenet autem eum verendus Neptunus, et ignifer Deus Titan Prometheus; quodque nunc calcas solum, id terræ hujus appellatur æreum limen, Athenarum firmamentum: at vicina arva equestrem Colonum præsidem suum gloriantur esse, atque ex eo communi nomine omnes appellati sunt. Hæc ita sunt, ut dico, hospes, non fama magis quam ipso usu nota.

OED. Numnam hisce in locis habitant homines aliqui?

HOS. Certe, et quidem ab hoc deo nomen habentes.

OED. Regnumne quispiam hic tenet, an penes multitudinem imperium est?

HOS. Hæc loca a rege, qui urbi præest, gubernantur.

OED. Is vero quisnam est, qui jure et viribus dominatur?

HOS. Theseus vocatur, Ægei, qui ante eum regnavit, filius.

OED. An ergo aliquis ex vobis nuntius ad eum ire velit?

HOS. Nuntiaturusne aliquid, an effecturus ut huc se conferat?

OED. Ut parvo pro beneficio magnum lucrum auferat.

HOS. Et quid opis ab homine cæco afferri possit?

OED. Quæ dicturi sumus, cæca non sunt, sed omnia clara et perspicua.

HOS. Scin', hospes, quomodo ab errore tibi caveas? si quidem es, ut videtur, generosus, præter calamitatem tuam. Istic mane, ubi apparuisti, donec ego popularibus hujus pagi, non urbis incolis, hæc nuntiem: illi enim decernent, utrum oporteat te manere, an hinc abscedere.

OED. O filia, anne abiit jam hospes?

ANT. Abiit. Proinde omnia tibi, pater, liberum est otiose proloqui: nam ego sola adsum.

OED. O venerandæ, terribiles adspectu Deæ, quandoquidem vestra est prima hujus terræ sedes ad quam diverti, ne Apollini et mihi sitis iniquæ. Is enim, quum multas illas mihi prænuntiaret calamitates, hanc prædixit post longum tempus requiem malorum fore, ubi, quum venissem in fatalem mihi regionem, apud venerandas Deas sede et hospitio exciperer, ibi me finiturum esse ærumnosam vitam, cum lucro quidem eorum qui me reciperent,

cum damno vero eorum qui me ejecissent. Vitæ autem exitum promisit significatum iri mihi vel terræ motu, vel tonitru, vel fulgure. Enimvero haud dubie intelligo, me ad hunc lucum prospero a vobis augurio adductum fuisse, vobisque viæ ducibus: alioquin haud unquam iter sic temere faciens, in vos primas incidissem, sobrius in sobrias, atque in hac veneranda rudi sede consedissem. Quare mihi demum, ô Deæ, juxta Apollinis responsa concedite, ut quocunque modo vitam finiam; nisi forte non satis malorum habere videor, qui perpetuis conflictor ærumnis, iisque maximis quas humana sors ferat. Agite, ô dulces filiæ antiqui Erebi, age, ô quæ magna a Pallade nomen habes, Athenarum nobilissima civitas; misereat vos hujus miserrimæ umbræ Œdipi: non enim hoc meum pristinum corpus est.

ANT. Sile. Ecce enim huc veniunt ætate quidam provecti viri, inspecturi ubi sedeas.

OED. Silebo: tu vero me duc ex via et absconde in luco, donec audiero quosnam hi conferent sermones: nam in explorando inest cautio eorum quæ agenda sunt.

CH. Dispice: quisnam erat? ubi moratur? quonam evasit ex hoc loco erumpens, ille omnium maxime insatiabilis? Videsne eum? inspice, inclama ubique. Profecto vagus quis est exterus ille senex. Alioquin inaccessum lucum haud subiisset hunc indomitarum virginum, quas nomine compellare veremur, quasque præterimus aversis oculis, compressa voce, tacite nobiscum bene ominata cogitantes. Nunc vero aliquem venisse ferunt, nihil ista reverentem, quem ego circumspectans per omne nemus nondum possum videre, sicubi delitescit.

OED. Ille ego adsum: nam, ut aiunt, voce video.

CH. Vah, vah! gravis adspectu, gravis et auditu.

OED. Ne me, obsecro, pro legum contemptore habeatis.

CH. Jupiter propulsator! Quisnam hic est senex?

OED. Haud sane felicitatis præcipuam sortem nactus, ô terræ hujus præsides: et hoc re ipsa ostendo. Alioqui non sic alienis oculis gressus meos regerem, nec grandis parvo niterer fulcro.

CH. Hei, hei! Cæcus ergo es, infelix, et senex, ut conjicere est. Sed haud sane, quantum per me licebit, his noxam addes, ob quam diris devovearis. Transis enim, transis. Sed ne irruas in taciturnum hunc herbidum lucum, ubi crater aquæ liquati mellis latice miscetur. Quare, infelix hospes, diligenter cave: retrocede, abi. Procul jam a limite intro te penetrasti. Audisne, ô ærumnose mendice? si quid me vis, sermonesque mecum miscere cupis, e sacro primum loco egredere, et, ubi fas est omnibus, loquere; prius vero tempera me affari.

OED. O gnata, quo me convertam?

ANT. O pater, civium moribus congrua facere nos decet, cedentes, ut oportet, nec invitos.

OED. Apprehende igitur me.

ANT. Apprehendo autem.

OED. O hospites, ne, quæso, injuria afficiar, quum, vobis ut obtemperem, hinc abcessero.

CH. Haud sane te quisquam, ô senex, ex isto, quo consistimus, loco invitum abducet.

OED. Ulteriusne igitur adhuc progrediar?

CH. Procede longius.

OED. Adhucne?

CH. Promove, puella, ulterius; tu enim quantum velimus intelligis.

ANT. Sequere hac, sequere, ut potes, infirmo pede, pater, quo te duco. Peregrinus peregrina in terra sustine, ô miser, quod civitas odiosum ducit, idem et tu odisse, atque colere quod ipsa colit.

OED. Duc me ergo, filia, ut pie nos gerentes dicamus vicissim et audiamus, et necessitati ne reluctemur.

CH. Istic consiste, nec ultra hoc limen amplius pedem promove.

OED. Siccine?

CH. Satis est, inquam.

OED. Num sedebo?

CH. Flexis modice genibus, extremo in saxo obliquus subside.

ANT. Pater, hoc meum officium est, hei mihi! placide gressus tuos dirigere. Senile corpus in caram meam manum inclina.

OED. Heu infelicem calamitatem!

CH. O miser, quandoquidem mihi nunc obtemperas, dic, quis te genuit mortalium, quis tam ærumnosus duceris? quanam te patria ortum esse audiam?

OED. O hospites, extorris sum. Sed ne—

CH. Quid est quod renuis, senex?

OED. Ne, quæso, me roges qui sim, nec ultra perge inquirere.

CH. Quid hoc rei est?

OED. Calamitosum genus.

CH. Narra, quæso—

OED. Hei mihi! filia, quid dicam?

CH. Quo generatus es semine: paternum nomen ede, hospes.

OED. Hei mihi! quid agam, filia? heu!

ANT. Dic, siquidem ad incitas redactus es.

OED. Atqui dicam. Haud enim celare possum.

CH. Diu cunctamini: age, properate.

OED. Nostisne Laïi quamdam progeniem?

CH. Vah, vah!

OED. Genusque Labdacidarum?

CH. Pro Jupiter!

OED. Infelicem Œdipum?

CH. Tune ergo ille es?

OED. Ne quem dictis ex meis metum concipe.

CH. Vah, vah!

OED. Infelix ego!

CH. Vah, vah!

OED. O filia, quid nobis actutum fiet?

CH. Excedite, abite ex hac regione.

OED. Sed quæ prius promisisti, quò efficies?

CH. Neminem ultio divina manet, qui malum malo rependit: fraus pro fraude retributa auctori pro gratia dolorem refert. Tu vero sedes has linquens, quam ocissime te ex terra mea abripe, ne quod ultra civitati meæ negotium facessas.

ANT. At, ô verecundi hospites, quandoquidem senem hunc meum patrem non sustinuistis audire, facta memorantem haud sponte admissa, saltem obsecro, infelicem me miseramini, quæ pro meo patre supplico, non cæcis vos intuens oculis, tanquam si vestro e sanguine prognata essem, ut vos miseri reverentia moveat. In vobis, haud secus ac in Deo, spes nostræ resident. Sed agite, annuite insperatum beneficium. Per ego te, si quid tibi ex animo carum est, obtestor, seu proles est, seu uxor, sive possessio, sive Deus. Non enim, quantumvis inquirendo, reperias hominem, qui, si Deus trahat, possit effugere.

CH. At scito, filia Œdipi, nos vestra calamitate moveri, ut tui pariter hujusque nos misereat: sed Deorum iram timentes nihil eorum, quæ tibi modo diximus, mutare possumus.

OED. Quid præclara, quæso, prodest existimatio, quidve famæ egregiæ decus, quam facta non comprobant? siquidem Athenas aiunt esse religiosissimas, unamque omnium civitatum hospitem malis afflictum servare, unamque opem ferre posse. Mihi vero ubinam ista sunt, qui, postquam me ex ista sede submovistis, me expellitis, solius ob metum nominis? non enim me ipsum, neque facta mea metuitis. Nam quod ad facta attinet, sunt illa, satis hoc certo scio, sunt potius hominis injuriam passi, quam inferentis, siquidem fas mihi sit vera tibi dicere de matre et patre, quorum causa me abhorres. Quomodo enim malus ingenio dici possim, qui injuriam ante passus, feci vicissim? adeo ut si sciens fecissem, ne sic quidem censerer malus. Nunc vero imprudens eo, quo veni, delatus sum: a quibus vero passus sum ante, illi scientes me perdiderunt. Quapropter implorans per Deos obtestor vos, hospites, ut me priore excitastis e sede, ita servate; et ne, Diis honorem habentes, tamen Deos nihili facere videamini: sed credite eos respicere, si quis inter mortales pius est, respicere quoque impios, scelestumque hominem neminem unquam effugium invenisse. Tu Deorum causa felicium Athenarum splendorem ne obscura, factis impiis subserviens; sed ut me supplicem fide tua fretum accepisti, libera me et conserva; neque, meum caput adspectu fœdum intuens, contumelia me afficias. Venio enim sacer piusque, et commoda civibus hisce ferens: quum autem aderit quis auctoritatem habens, qui princeps vester est, tum audita ex me omnia pernosces; at interea ne, quæso, in me sis injurius.

CH. Necesse est, ô senex, ut mihi religionem incutiant consilia tua: haud enim parum in iis esse momenti sermo tuus indicat. Sed mihi satis erit, si terræ hujus moderatoribus declarabuntur.

OED. At ubi est regionis hujus rex, hospites?

CH. Paternam urbem habitat. At qui me huc evocavit speculator, eum etiam vocaturus abiit.

OED. Ecquam putatis cæci hominis illum curam aut respectum habiturum, ut huc se conferre non gravetur.

CH. Admodum, ubi tuum nomen audierit.

OED. Quis vero est, qui hoc ei nuntiabit?

CH. Longa via est: multa autem viatorum dicta solent dispergi, quibus ille auditis, me vide, aderit. Multa enim, ô senex, tui nominis fama ubique dimanavit, ut, licet spisso gradu viam ingressus fuerit, tuo audito nomine celeriter adventurus sit.

OED. Sed fortunatus veniat suæque ipsius urbi, et mihi! Quis enim bonus non est sibi ipsi amicus?

ANT. O Jupiter! quid dicam? quid cogitem, pater?

OED. Quid rei est, cara Antigone?

ANT. Mulierem video prope ad nos venientem, procero equo vectam, cui faciem obumbrat impositus capiti Thessalicus galerus. An ea est? an non est? an fallor animo? et aio, et nego, nec quid credam certum est. Perii! non alia est: permulcet me blandus accedentis adspectus, manifestumque facit solius Ismenes hoc esse caput..

OED. Quid dixti, nata?

ANT. Filiam tuam, meamque me videre sororem. Sed loquentem eam actutum agnosces.

ISM. O gemina patris et sororis dulcissima mihi alloquia, quam ægre vos repertos nunc præ dolore ægra adspicio!

OED. Venistine, ô filia?

ISM. O pater miserabilis adspectu!

OED. O sata mecum ex eodem sanguine!

ISM. O miserrimum genus!

OED. Adesne tandem filia?

ISM. Non quidem sine meo labore.

OED. Amplectere me, filia.

ISM. Amplector simul duos.

OED. O hancce et me—

ISM. Infelicemque me tertiam!

OED. Cur autem venisti, filia?

ISM. De te solicita, pater.

OED. Meine desiderio?

ISM. Et ut nuntium ipsa tibi afferrem veni cum unico hoc ex famulis fideli.

OED. Tui autem adolescentes fratres quid nunc agitant?

ISM. Quod agunt, agunt: verum atroci versantur in periculo.

OED. Quam prorsus illi ad Ægyptias leges ingenium conformatum habent et vivendi modum! Ibi enim viri intus sedent telam texentes: uxores vero foris quæ ad victum pertinent procurant identidem. Sic ex vobis, ô filiæ, quos par erat mei curam suscipere, hi domi desident, ut innuptæ puellæ: vos vero illorum vice propter me infelicem ærumnas perpetimini. Et hæc quidem ex quo pueritiam egressa est, firmitasque accessit corpori, semper mecum infelix oberrans, senem me ducit, sæpe quidem per asperas silvas jejuna nudipesque vagans, sæpe etiam imbres solisque ardores perpessa, posthabetque commoda quibus domi frui pote-

rat, ut pater ne victu careat. Tu vero, ô filia, antea quidem domo egressa, clam Thebanis, patri renuntiasti quæcumque de me edita fuerant oracula; custosque mei fidelis exstitisti, quo tempore patria e terra expulsus sum. Nunc vero quem rursus nuntium, Ismene, patri affers? quæ tibi fuit domo proficiscendi causa? utique enim haud vacua venis, satis hoc scio: vereor ne mihi pavorem nunties aliquem.

ISM. Ego quodcunque laboris pertuli, pater, dum investigarem quonam in loco versareris, narrare supersedebo: nolo enim male bis affici, ærumnas ferendo, easque rursus memorando. Sed quæ infelices inter tuos filios exorta sunt mala, ea nuntiatum veni. Prius enim in una consenserant voluntate, Creonti solium concedere, nec inquinare urbem, secum reputantes veterem generis labem, qualis tuam occupaverit calamitosam domum. Nunc autem a nescio quo Deo immissa, vel scelesto ex animo orta, miserrimos incessit atrox contentio, uter principatu regioque potiretur imperio. Ac minor quidem natu priorem ætate Polynicen throno submotum patria ejecit. Ille vero, ut vulgo apud nos fertur, Argos profectus exsul, affinitatem comparat novam, sociamque amicorum sibi adjungit manum: ratus scilicet Argivos ultionem suam suscipientes Cadmi solum continuo occupaturos, seque ab illis ad astra sublatum iri. Atque hæc, ô pater, haud nudis modo ventilantur sermonibus, sed re ipsa geruntur: tuorum vero laborum si qua Dii misereturi sunt, prænoscere nequeo.

OED. Anne ergo unquam opinata es, Deos mei curam aliquam ita habituros, ut salutem consequar aliquando?

ISM. Admodum, pater, editis nuper oraculis freta.

OED. Quænam illa sunt? quid futurum significant, filia?

ISM. Fore aliquando, ut salutis suæ causa te illinc homines mortuum vivumque expetant.

OED. Quis vero ab homine ita, ut ego sum, male affecto juvari possit?

ISM. In te situm esse illorum robur fatidicæ sortes confirmant.

OED. Quando amplius non sum, tunc ergo vir insignis fio.

ISM. Nunc enim Dii te erigunt; prius autem perdiderunt.

OED. Senem vero erigere frivolum est, qui juvenis concidit.

ISM. Atqui scito Creontem idcirco tibi mox adfuturum.

OED. Quid facere cogitat, ô filia? rem mihi declara.

ISM. Prope terram Thebanam te collocaturi sunt, ut habeant te quidem in sua potestate, tu vero ne fines terræ intrare possis.

OED. At quæ foris jacentis utilitas erit?

ISM. Tumulus tuus in peregrino solo illis erit gravis.

OED. Vel sine Dei monitu hoc quivis per se facile intelligat.

ISM. Ob hanc igitur caussam te, prope terræ suæ fines locatum, nec ubi tui juris sis, asserere sibi gestiunt.

OED. An etiam humo Thebana me contegent?

ISM. Sed hoc cognatæ cædis non sinit piaculum, pater.

OED. Ergo me nunquam in sua potestate habebunt.

ISM. Ergo hoc erit aliquando Cadmeis grave.

OED. Quonam eveniente, ô filia, casu?

ISM. Tua ex ira, quando tumulo insistent tuo.

OED. Quæ dicis autem, a quo audita renuntias, filia?

ISM. A legatis Delphos consultum missis.

OED. Et hæc propter me eventura esse Apollo confirmavit?

ISM. Sic aiunt qui Delphis Thebas reversi sunt.

OED. Alteruterne hæc audivit meorum filiorum?

ISM. Uterque pariter, et norunt probe.

OED. Itane, his auditis, scelestissimi illi regni cupidinem mei desiderio præponunt?

ISM. Doleo equidem hæc audiens, fero tamen.

OED. At illis Dii neque fatalis hujus contentionis faces exstinguant, et penes me sit istius pugnæ exitus, quam nunc conserere parant, invicem in se arma inferentes: ut neque qui sceptra soliumque nunc tenet, iis potiatur amplius, nec qui in exsilium pulsus est, urbe recipiatur denuo; qui quidem parentem me suum, quum ignominiose adeo patria ejicerer, nec retinuerunt, nec tutati sunt; sed iis annuentibus domo et fortunis eversus expulsus fui, atque exsul renuntiatus. At forte dicas hanc mihi cupienti gratiam tum fuisse a civibus, ut par erat, concessam. Haud sane se ita res habet. Nam statim primo die, quum indignatione flagraret mihi animus, morique dulcissimum esset mihi et lapidibus obrui, nemo comparuit, qui istam mihi expleret cupiditatem: quum vero temporis lapsu jam omnis dolor mollitus esset, animadvertissemque iræ exæstuantis impetu acerbiores me, quam pro delictis, pœnas de me sumpsisse, tunc demum me civitas quidem longo post tempore e finibus invitum ejecit; illi vero, patris pulchra soboles, patri quum possent opem ferre, id præstare renuerunt: sed, quia ne verbulo quidem causam meam tueri aggressi sunt, extorris illis et mendicus vagor. At ex hisce virginibus, quantum illis per sexum licet, victum paratum habeo, et securam sedem, et dulcia liberorum ministeria. Illi autem, patre postposito, maluerunt thronos et sceptra regere, imperioque potiri urbis. Sed nunquam me auxiliatorem habebunt, nec unquam Cadmei hujus regni lætum percipient fructum. Hoc ego novi, hujusque oracula audiens, simulque reputans mecum vetera responsa, quæ mihi olim effecta dedit Apollo. Proinde Creontem mittant, qui me arcessat, vel si quis alius in urbe pollet viribus: si enim vos, ô hospites, cum his venerandis populi vestri præsidibus Deabus, auxilio mihi velitis adesse, huic quidem urbi magnum sospitatorem comparabitis, meis autem inimicis malum.

CH. Profecto dignus es, Œdipe, tuque, et virgines hæ, misericordia. Quoniam vero hac oratione te servatorem huic urbi polliceris, quæ in rem tuam sint, de iis admonitum te volo.

OED. O carissime, interpres mihi sis omnia facere parato.

CH. Statue igitur piacularе sacrum Deabus hisce, ad quas primum venisti, et quarum calcasti solum.

OED. Quibus modis, ô hospites? docete me.

CH. Primum quidem sacra perenni ex fonte affer libamina, puras admovens manus.

OED. Quid vero, quando purum laticem hausero?

CH. Crateres sunt, artificis periti opus, quorum capita geminasque ansas cingito.

OED. Frondene an lana? aut quonam modo?

CH. Ovis juvenculæ lana recens detonsa involvens.

OED. Esto: quod vero reliquum, quî me expedire convenit?

CH. Libationes fundere ad orientem solem conversum.

OED. An hisce fundam, quas modo dicebas, hydriis?

CH. Ternos quidem liba latices: novissimum vero cratera totum effunde.

OED. Quonam hunc replebo liquore? hoc quoque me doce.

CH. Aqua mulsa: temetum ne addito.

OED. At ubi hoc libamine herbida terra rigata fuerit, quid tum?

CH. Ter novem positis ab utraque manu ramis oleæ, his supplica precibus.

OED. Hæc audire gestio; maxima enim sunt.

CH. Ut eas vocamus Eumenidas, benevolo ut animo supplicem accipiant sospitentque, tu quidem ipse pete, aut si quis alius pro te, secrete et submisse loquens, non elata voce; deinde abi, nec respice. Et hæc si feceris, audacter tibi adstitero: alias metuerem, ô hospes, tibi.

OED. Auditisne, ô filiæ, hosce hospites hujus loci incolas?

ANT. Audivimus quidem: proinde quod facto opus est impera.

OED. Obire equidem hæc non possum; impedior enim duplici malo debilitate et cæcitate; vestrûm autem altera illuc se conferens ista administret. Animam enim vel unam, æque ac mille, piacula hæc perficere posse arbitror, si benevola adsit. Quare agite, ocius incipite; modo me solum ne linquite: haud enim possem desertus ingredi, carensque duce.

ISM. At ego sacra hæc peractura ibo: locum vero, ubi necessaria omnia inveniam, noscere volo.

CH. In ulteriori hujus luci parte: si qua autem re indigebis, est, qui dicet, incola.

ISM. Illuc ergo pergam: tu vero, Antigona, patrem hîc serva. Parentibus enim si quis impenditur labor, moléstus ille videri non debet.

CH. Grave quidem est sopitum jamdiu malum, ô hospes, excitare; tamen audire cupio—

OED. Quidnam?

CH. Miserandum inexplicabilem istum dolorem, quo constrictaris.

OED. Ne, per hospitalitatem tuam quæso, ista retegas. Turpia mihi contigerunt facta.

CH. Late diffusam et nondum desinentem cupio, hospes, famam recte cognoscere.

OED. Hei mihi!

CH. Morem gere mihi, obsecro.

OED. Heu, heu!

CH. Obtempera: etenim ego, quantum tu vis, facilem me præbeo.

OED. Sustinui pessima, hospites, sustinui; at sane invitus, testis mihi sit Deus. Horum nihil sponte admissum fuit.

CH. Sed quonam auctore?

OED. Nefario in toro civitas me inscium nuptiarum irretivit noxa.

CH. Matrisne, ut audio, nefandum torum implesti?

OED. Hei mihi! Mors quidem est hæc audire, ô hospes: hæ autem duæ ex me—

CH. Quid ais?

OED. Filiæ, duæ autem noxæ—

CH. Pro Jupiter!

OED. Communis matris editæ sunt partu.

CH. Tuæ sunt ergo filiæ, simulque patris sorores sui.

OED. Eheu!

CH. Eheu sane. Infinitorum reciprocationes malorum passus es.

OED. Gravissima passus sum nec obliviscenda.

CH. Fecisti—

OED. Non feci.

CH. Quid ita?

OED. Donum accepi, quod ut in me miserrimum conferret civitas, utinam nunquam promeritus fuissem.

CH. Miser, quid ergo? patrastine cædem—

OED. Quidnam id est? quid sciscitaris?

CH. Patris?

OED. Papæ! alterum refricas vulnus.

CH. Interfecisti—

OED. Interfeci. Sed est mihi—

CH. Quid, quæso?

OED. Justa quædam causa.

CH. Quidum?

OED. Declarabo tibi. Etenim inscius occidi et perdidi: lege autem purus, imprudens hanc noxam subii.

CH. Atqui eccum nobis rex adest Ægei filius Theseus, fama tua accitus.

TH. Quum ex multorum sermone mihi dudum innotuerit, cruentis vulneribus tibi confossos fuisse oculos, facile te, ô fili Laïi, agnosco; quumque huc iter faciens de te audierim, eo certius nunc scio te coram mihi adesse. Habitus enim tuus, tuaque miseranda facies, satis indicant qui sis: tuique miseritus percontari te volo, infelix Œdipe, quidnam a civitate et a me supplici prece petitum veneris, tuque ipse, et hæc tua infelix comes. Expone quid velis: rem enim admodum difficilem dixeris, quam tibi præstare renuerem. Enimvero memini, me hospitem, ut tu nunc es, peregrino in solo educatum fuisse; plurimaque, postquam viribus adolevit ætas, certamina extra patriam obii, periculis objectans caput: ideo neminem, hospes

qui sit, ut tu nunc es, aversabor, quin operam ad ejus salutem conferam. Scio enim hominem me esse, nihiloque certiorem mihi esse, quam tibi, crastinæ lucis usuram.

OED. Theseu, tua generositas brevi sermone emicuit, ut paucis tantum mihi verbis opus sit. Tu enim ipse dixisti, qui sim, et quo patre genitus, quaque ex terra venerim, ita ut nihil mihi supersit dicendum, quam quid velim, et sic oratio tota peracta est.

TH. Id ipsum jam expone, ut liquido sciam.

OED. Dono tibi daturus venio meum miserum corpus, adspectu non æstimandum: at potior est ex eo utilitas, quam formæ species.

TH. Quid autem lucri te afferre prædicas?

OED. Tempore suo id rescies: nondum cognoscere licet.

TH. Quando ergo palam fiet commodum ex te oriundum?

OED. Quum ego mortuus fuero, et tu me sepeliveris.

TH. Postrema vitæ postulas; quæ vero media sunt, vel oblivione præteris, vel nihili facis.

OED. Quippe media illa eodem mihi conferuntur.

TH. At sane exigua est, quam petis, gratia.

OED. Vide tamen: non parvum, non utique, certamen hoc erit.

TH. Tuisne liberis, an dicis mihi?

OED. Illi ut in patriam revertar cogere me volunt.

TH. At si id cupiunt, ne tibi quidem exsulare honestum est.

OED. At ne quidem illi patriam habitare, quando ipse postulabam, permiserunt mihi.

TH. O demens, damnosum est iræ indulgere, siquis versatur in malis.

OED. Ubi me audieris, tunc admone: nunc vero desine.

TH. Doce: non enim, nisi re cognita, me decet loqui.

OED. Sustinui, Theseu, atrocia super malis mala.

TH. Num veterem illam generis labem innuis?

OED. Minime; quandoquidem ista totius Græciæ sermonibus celebrantur.

TH. Quonam ergo graviori, quam pro humana sorte, laboras malo?

OED. Sic res habet mihi. Patria mea expulsus sum a meis ipsius filiis; nec unquam mihi concessum redire, utpote parricidæ.

TH. Cur, quæso, te arcesserent, si tibi seorsum habitandum esset?

OED. Eo adigit illos divinum oraculum.

TH. Cujusnam mali metum incutiunt Deûm responsa?

OED. Nempe in fatis esse, ut ab hujus terræ cædantur incolis.

TH. At qui futurum est, ut rupto fœdere mutuis certemus odiis?

OED. O carissima Ægei proles, Diis solis datur non senescere, nec mori quidem unquam: cetera autem omnia miscet cunctorum domitor Tempus. Absumitur enim vigor terræ, absumitur et corporis, peritque fides, succrescitque perfidia: nec

eadem semper adspirat aura nec inter amicos, nec civitati erga civitatem. His enim nunc quidem, illis vero, interjecto tempore, jucunda fiunt amara, rursusque amica. Sic Thebarum etsi nunc, servato tecum fœdere, res in tranquillo sint, infinitum tamen procedens tempus noctes diesque gignit infinitas, in quibus præsentem concordiam, pactamque junctis dextris fidem, leves ob causas dissipabunt: ubi leto sopitum humoque conditum meum corpus, ossaque olim frigida calidum eorum sanguinem bibent; si modo Jupiter est Jupiter, et Jovis filius Apollo verax. Verum, haud enim jucundum est tacendas res effari, sine me iis immorari, a quibus orsus sum; promissis tuis modo maneas, fidemque serves: nec unquam dices Œdipum inutilem loci hujus incolam te accepisse, si quidem Dii me non fefellerint.

CH. O Rex, jamdudum hic vir hæc et talia commoda huic terræ præstiturum se prædicat.

TH. Quis, quæso, benevolentia non complectatur talem virum, cui primum quidem hospitalis apud nos ara semper communis est? Deinde supplex Dearum ingressus, terræque huic et mihi tributum haud exiguum pendit. Quorum ego religione motus, nunquam ejus repudiabo gratiam; contra autem in hac terra sedem ei præbebo. Sive hîc suave est hospiti manere, tibi eum tuendum committam; sive suave est mecum ire, horum utro voles, per me licet, utere, Œdipe; sic enim tibi opem feram.

OED. O Jupiter, talibus viris dignam rependas gratiam!

TH. Quid ergo vis? domumne meam abire?

OED. Utinam fas esset mihi! at hic est locus—

TH. In quo quid es facturus? non enim obsistam.

OED. In quo eos superabo, qui me ejecerunt.

TH. Uberem prædicas fructum tuæ apud nos mansionis.

OED. Si quidem promissis tuis stas, dum hæc præstitero.

TH. Mea quidem causa confide: nunquam te prodam.

OED. Haud equidem te juramento, ut infidum, alligabo.

TH. Haud enim sic plus, quam nudo promisso ferres.

OED. Quomodo igitur facies?

TH. Cujusnam te rei maxime tenet metus?

OED. Venient viri—

TH. At istis curæ hoc erit.

OED. Vide, si me relinquis—

TH. Ne me quid facto opus sit doce.

OED. Timenti ita necesse est.

TH. At meum cor non timet.

OED. Nescis quas minas—

TH. Scio equidem te neminem hominem hinc abducturum in-gratiis meis. Multas quidem minas, multaque inania verba ira solet proferre; sed quando mens ad se redit, evanidæ abeunt minaciæ. Sic illis, etiamsi forte eo processerunt ferociæ, ut atrocissima quæque minitarentur circa tuam reductionem, longum videbitur, sat scio, nec navigabile, quod huc venientibus emetiendum erit pelagus. Bono igitur te esse animo, vel absque mea providentia, æquum esse censeo, si te huc deduxit Apollo:

tamen etiam me absente, scio tutelam tibi fore nomen meum, ne qua lædaris injuria.

CH. Optimam, hospes, equis gaudentis hujus regionis in sedem venisti, candidum Colonum, ubi viridantibus in vallibus maxime frequens querulos fundit modos canora luscinia, nigricantem incolens hederam, sacramque Dei frondosam silvam, multiplici pullulantem fructu, solis inaccessam radiis, tutamque ab omnibus hiemis ventis, ubi bacchans semper Dionysus inambulat, divinarum nutricium comitante cœtu. At cœlesti rore viret in dies semper pulchris conspicuus corymbis narcissus, antiquum magnarum Dearum coronamentum, auricolorque crocus; nec perennes agrum pererrantes deficiunt fontes Cephisi fluentorum: sed continuus ille quotidie labitur per arva, imbre limpido fœcundans gremium terræ: neque Musarum chori regionem hanc perosi sunt, neque etiam aureas habenas tractans Venus. Est autem hîc arbor, qualem nec in Asia terra, nec in magna Dorum insula usquam audivi crescere, humana non satum manu germen, sponte sua enatum, hostilibus armis terrorem injiciens, quod hac in terra maxime pullulat, glaucæ liberûm nutricis folium oleæ: quod quidem neque nunc quisquam, neque olim imperans exscindet, manu vastans: semper enim intentus oculus Morii Jovis illud tuetur, et cæsiis oculis Minerva. Sed et aliud decus hujus metropolis memorare valeo, munus egregium prævalidi Dei, maximam gloriandi materiam, quod equis præstat et navibus. Tu enim eam, ô Saturnia proles, rex Neptune, eo gloriæ evexisti, instituto in his primum regionibus more frenis equos regendi: apta vero remo palmula, manibus in mare porrecta saltat, quinquaginta Nerei filiarum comes.

ANT. O maximis laudibus celebrata terra, nunc inclytam illam famam re comprobare decet.

OED. Quid novi est, ô filia?

ANT. Eccum propius ad nos accedit Creon, non sine satellitibus, pater.

OED. O carissimi senes, ex vobis mihi nunc certa appareat salus.

CH. Confide, aderit: etsi enim senex sum, tamen hujus terræ non consenuit robur.

CR. Viri indigenæ hujus terræ incolæ, vestro ex vultu video, subitum vos aliquem metum concepisse meum ob adventum: ne me timete, maledicisque parcite vocibus. Venio enim, non ut vi quidquam facturus; quandoquidem senex sum, scio autem ad urbem me venire præpotentem, si qua alia Græciæ. Sed tantæ quum sim ætatis profectus sum, virum hunc persuasurus ad Cadmeam terram me sequi, non unius missu, sed civibus ab omnibus jussus: quia me, ob communionem sanguinis, magis quam quemquam alium in civitate luctus attingit illius calamitatum. At, ô ærumnose Œdipe, auscultans mihi, redi domum: universus te populus Thebanus, ut fas est piumque, vocat, et, ut qui maxime, ego, quo magis, nisi longe omnium sim pessimus, doleo tuas ob ærumnas; calamitosum te videns, hospitem, erro-

nem semper et mendicum, victuque egentem unica ductum a ministra; quam, ô miser ego! nunquam opinatus essem in tam indignam fœdamque sortem dejectum iri, quo nunc dejecta est, dum te tuumque caput semper curat mendicato cibo, tam grandis, nuptiarum expers, et cujuslibet exposita contumeliis. Ecquid miserandum probrum, ô me infelicem! in te conjeci, meque, et totum genus? Verum, haud enim mihi datur, quæ manifesta sunt, celare, age, per ego te Deos patrios obtestor, Œdipe, ea tu absconde, sponte tua urbem domumque paternam repetens; et huic urbi amanter valedicito: promerita est enim; at patria merito plus colatur, quæ te aluit olim.

OED. O ad omnia audax, et e quolibet justo sermone machinas producens subdolas, quid hisce me tentas, denuoque capere me vis, quibus maxime dolerem captus? Ante etenim mihi malis domesticis laboranti, quum volupe esset mihi in exsilium ejici, noluisti volenti conferre hanc gratiam: at ubi ira exsaturatus quievi, vitamque domi agere dulce fuit mihi, tum expulisti et ejecisti; neque tibi tum sanguinis illa conjunctio ullo caritatis sensu tentavit animum. Nunc etiam rursus, quando vides urbemque hanc benevole me amplecti, et gentem totam, conaris me avellere, aspera verbis mollibus loquens. Quanquam quænam hæc voluptas est invitos amare? ut si quis tibi enixe flagitanti quod cupias consequi, nihil concedat, nec opem ferre velit; expletum autem animum habenti, quorum eguisses, tunc donet, quum gratia oblata nullam parit gratiam, an inani ex dono voluptatem capias? Atqui talia tu mihi offers, verbis quidem bona, sed ipsa re mala. Declarabo autem et hisce, ut te improbum esse ostendam. Venis abductum me, non ut domum reducas, sed ut ad confinia me loces, quo urbs tibi sit immunis a cladibus, quæ ab hac terra impendent. Hæc autem non consequeris; sed te ista manent, illic semper habitans injuriarum mearum ultrix Furia, regionis pernicies. Filiis autem meis terræ meæ tantum sortiri fas est, quantum satis sit immorituris. An non melius quam tu res Thebarum nosse videor? multo quidem, quanto certiores auctores habeo, Apollinemque, et ipsum Jovem, qui illius pater est. Tu vero huc venisti subdole conficta dicturus multo cum acumine; sed hoc ex sermone mala auferes plura quam commoda. Verum, quandoquidem certo scio me tibi hæc non persuadere, abi, nosque sine hic vivere. Non enim male, ne sic quidem, vivemus, si ita vivere nos juvat.

CR. Num putas ex hoc tuo consilio majus mihi, quam tibi ipsi, damnum imminere?

OED. Mihi quidem jucundissimum est, si tu neque me persuadere potes, nec hosce qui adsunt.

CR. O miser, ne longum quidem tempus docuit te sapere, sed in senectute etiam noxium te dementia facit.

OED. Lingua tu acer es: at probum esse neminem ego censeo, qui ex omni causa recte velit dicere.

CR. Aliud est multa loqui; aliud, opportuna.

OED. Quam hæc tu breviter et opportune dicis!

CR. Haud sane, si cui eadem est mens, quæ tibi.

OED. Abi, dicam enim horum etiam nomine, neque me observa, hortans ubi habitare me oporteat.

CR. Attestor hos, non te, qualibus nunc verbis respondes amicis. Si te unquam cepero—

OED. Et quis me invitis his adjutoribus capiat?

CR. Certe tu, etiamsi non capiaris, dolebis tamen.

OED. Nam quid te moliri hæ minæ indicant?

CR. Natarum tuarum alteram quidem modo abreptam ablegavi, alteram autem mox abducam.

OED. Hei mihi!

CR. At mox habebis, quod plores magis.

OED. Filiamne meam habes?

CR. Et hanc habebo haud longum post tempus.

OED. O hospites, quid facturi estis? an me prodetis, an abigetis scelestum hunc ex hac terra?

CH. Facesse, hospes, hinc ocius: non enim in præsentia quæ facis justa sunt, nec quæ fecisti antea.

CR. (*ad Satellites*) Vos hanc jam abducite, si sponte non ibit.

ANT. Hei mihi miseræ, quo fugiam? quod auxilium deorum implorabo, aut hominum?

CH. Quid agis, hospes?

CR. Non attingam hunc virum, sed istam, quæ mea est.

ŒD. O terræ hujus principes!

CH. O hospes, injuste facis.

CR. Juste.

CH. Quî juste?

CR. Meos abduco.

ANT. O civitas!

CH. Quid agis, hospes? non amittes? mox manum meam experieris.

CR. Abstine manum.

CH. Non equidem a te, si istæc moliris.

OED. Civitati enim vim infers, si quid me lædis.

CH. Nonne tibi hæc prædixeram?

CR. Dimitte manibus puellam ocius.

CH. Ne impera, quæ imperare fas non est tibi.

CR. Dimittere te jubeo.

CH. Et ego te abire. Progredimini huc, adeste, adeste, incolæ; violatur civitas, violatur civitas mea. Progredimini huc mihi.

ANT. Abstrahor infelix, ô hospites, hospites.

OED. Ubinam es mihi, filia?

ANT. Vi coacta abeo.

OED. Manus, ô nata, mihi porrige.

ANT. At non valeo.

CR. (*ad Satellites*) Quin, vos, istam abducitis?

OED. O miser ego, miser!

CR. Non amplius posthac hisce scipionibus nixus ambulabis. Sed quoniam vincere vis patriamque tuam, et amicos, a quibus

ego jussus, tametsi rex sum, hæc facio, age vince. Olim enim, sat scio, intelliges, te et nunc in te male consulere, et antea iidem male consuluisse, invitis amicis, iræ indulgentem, quæ tibi semper exitialis est.

CH. Subsiste hic, hospes.

CR. Edico ne quis attingat.

CH. Haud sane te abire sinam, virginibus illis privatus.

CR. Ergo statim efficies ut majus aliquid civitati tuæ sit vindicandum: non enim his solis injiciam manus.

CH. Sed quo te vertes?

CR. Hunc correptum abducam.

CH. Mirum quid narras.

CR. Quod tamen mox peractum erit, nisi me rex terræ hujus prohibeat.

OED. O vocem impudentem! Numnam tu me tanges?

CR. Jubeo te tacere.

OED. Enimvero ne me hujus loci præsides Deæ obmutescere velint priusquam te his adhuc onerem diris, qui mihi, ô scelestissime, oculis jampridem capto solum, quo regebar, oculum vi abripis: quare et te ipsum et genus tuum Deorum cuncta cernens Sol det vitam talem, qualem ego, exigere in senectute.

CR. Videtisne hæc, terræ hujus incolæ?

OED. Vident et me et te; atque intelligunt factis me læsum verbis te ulcisci.

CR. Haud sane cohibebo iram; sed vi abducam hunc, licet solus sim, et ætate tardus.

OED. O me miserum!

CH. Quanta huc audacia venisti, hospes, si putas te hæc effecturum!

CR. Puto.

CH. Hanc igitur non amplius censeam civitatem esse.

CR. Justa in causa parvus etiam magnum vincat.

OED. Auditis quæ loquitur.

CH. Quæ vero non perficiet.

CR. Jupiter hoc sciverit: tu vero arbiter non eris.

CH. Non hæc injuria est?

CR. Injuria; sed ferenda.

CH. O populus omnis, ô terræ principes, adeste propere, adeste; namque ultra fas jam transeunt.

TH. Quis hic clamor est? quid rei? quemnam ob metum sacrificantem me ad aras marino Deo inhibetis, hujus Coloni præsidi? dicite, ut rem omnem sciam, qua gratia huc celerius prorupi, quam pedibus gratum erat.

OED. O carissime, agnovi enim vocem tuam, passus sum atrocia ab hoc viro modo.

TH. Quænam illa sunt? quis tibi fecit injuriam? effare.

OED. Hicce, quem cernis, Creon geminas filias, quod unicum supererat vitæ meæ subsidium, a me avulsit.

TH. Quid ais?

OED. Quæ passus sum audisti.

TH. Quin ergo e ministris quispiam abit quam citissime aras ad illas, omnem coacturus populum, peditem, equitemque, ut, sacris relictis, effusis habenis properent eum in locum, ubi duplex euntibus via in unam maxime coit, ne transeant puellæ, nec ego deridiculus fiam huicce hospiti, vi superatus? abi, ut jussi, ocius. Hunc autem ego, si iræ indulgerem, qua dignus est, incolumem e manu mea non dimitterem: nunc autem quas ipse leges huc intulit, iisdem, non aliis tenebitur. Non enim unquam hisce ex oris abibis, nisi prius illas huc reductas palam mihi stiteris; quandoquidem et me, iisque quibus prognatus es, et patria tua indignum facinus aggressus es; quippe qui æqui servantem ingressus civitatem, nihilque nisi ex lege facientem, tamen spretis iis penes quos est hujus loci publica auctoritas, sic violenter irruis, abducisque quæcunque vis, tibique per vim subjicis. Et mihi urbem esse putasti vacuam viris, aut domino servientem alicui, et me hominem esse nihili. Quanquam te Thebæ non docuerunt esse malum; non enim solent injustos viros educare: nec te approbarent, si rescirent te meaque et divina spoliare, vi abducentem miseros supplices. Haud quidem sane, tuam ingressus terram, ne si causas haberem omnium justissimas, abstraherem abduceremve quemquam, absque regis, quisquis ille esset, arbitrio; sed scirem, quo se modo hospes inter cives gerere oporteat. Tu vero tuam ipsius patriam, haud tali dignam probro, dedecoras; et te longa ætas senem simul reddit, et mente vacuum. Dixi quidem jam ante, nuncque iterum dico, puellas ut quis huc reducat quam celerrime, nisi inquilinus hujus loci fieri per vim atque ingratiis tuis non refugis. Atque hæc tibi ex animo pariter et lingua dico.

CH. Vides quo loco res tibi sit, hospes? Nam reputanti a quibus natus sis, justus esse videris; mala autem patrasse deprehenderis.

CR. Equidem neque viris vacuam, neque consilii expertem hanc civitatem putans, ut tu rere, ô nate Ægei, ista molitus sum; sed quia sciebam neminem horum fore civium, qui tanto erga consanguineos meos accendatur studio, ut vel meis ingratiis eos alere velit. Noram præterea hominem parricidam et scelere pollutum ab iis receptum non iri, nec qui incestis ex nuptiis liberos procreasse compertus sit. Talem illis in Areopago senatum indigenam esse noram, prudentia insignem, qui non sinit hujusmodi errones in hac urbe conversari. Quorum quidem fiducia hanc prædam capere aggressus sum: nec sic tamen fecissem, nisi mihi ipsi, generique meo diras hic acerbas imprecatus esset: quapropter injuria lacessitus, hanc æquum censui rependere vicem. Ira enim non consenescit; sola morte restinguitur; mortuique soli nullo tentantur dolore. Proinde quodcunque libuerit facies, quandoquidem me solitudo, tametsi justa dico, parvum reddit. Attamen, qualiacunque futura sint tua facta, etsi hac ætate sum, par conabor referre.

OED. O impudentem audaciam! utrum proscindere putas, mene senem, an te ipsum hisce conviciis? qui mihi cædes et

nuptias, calamitatesque ore exprobas improbo, quas ego miser tuli invitus: Diis enim ita visum est, iratis forte generi nostro veterem ob aliquam culpam. Me enim ipsum haud quidquam mali commeruisse arguas, qua gratia hæc in me meosque admiserim flagitia. Nam doce me, sodes, si quo oraculi responso prædictum fuit patri, peremptum illum iri a filio, quo jure mihi hoc exprobres, qui nec a patre tunc satus, nec a matre conceptus, necdum generatus eram. Si vero natus infelix, ut ego natus sum, cum patre conserui manus, eumque occidi, nec quod facinus admitterem, nec in quem, sciens; qui mihi quod imprudens nec consulto feci juste vertas crimini? Ecquid vero non te pudet, perdite, matris meæ, quæ tua fuerit soror, de nuptiis cogere me loqui? quæ quales fuerint, mox dicam: rem enim silentio non premam, quum tu impium hunc sermonem exorsus sis. Peperit enim me, peperit (heu quantum est mali!) ignarum ignara: materque eadem mea deinde liberos, suimetipsius probrum, peperit mihi. Verum unum saltem hoc mihi constat, te quidem ultro meque et illam his urgere conviciis: ego autem eam invitus duxi, invitusque hæc loquor. Sed ne quidem ob has nuptias malus perhibebor, neque ob eam, quam mihi objectas usque, cædem paternam, acerbe exprobrans. Unum enim mihi responde solum quod te interrogo. Si quis te, justum illum, subito hic invadens perimere conaretur, quæreresne utrum pater is esset, qui te vellet occidere, an vero statim ulciscereris? sane existimo, si quidem vitam amas, improbum ulciscereris, neque quid justum considerares. Talia quidem et ipse incidi in mala, Deis ducentibus; quibus ne animam quidem patris, si reviviscat, contraria dicturam esse opinor. At tu, haud enim probus es, sed omnia dictu honesta putans, fanda infandaque, talia mihi coram his exprobras: et tibi Thesei nomen adulari decorum videtur, Athenarumque urbem, ut quæ præclaris habitetur incolis. Nec tamen, quum sic multa laudas, hoc meministi, urbem hanc, si qua alia deos novit honoribus colere, religione omnes antecellere; unde tu supplicem me senemque furto conaris ipsum abducere captivum, raptisque filiabus meis aufugere. Quorum ego nunc gratia hasce Deas invocans rogo, et precibus supplico, ut adsint mihi auxilio, quo discas qualibus a viris hæc custoditur urbs.

CH. Bonus est hic hospes, ô rex; sed exitialis premit eum calamitas, quæ vindice digna est.

TH. Verborum satis est: nam illi quidem raptores properant: nos vero, qui injuria affecti sumus, hic stamus.

CR. Quid, quæso, imbecillo homini, ut faciat, imperas?

TH. Ut illam ingrediaris viam, meque eo deducas: ut, sicubi in his locis virgines, nostras hospitas, detines, ipse mihi eas exhibeas: si vero aufugerunt raptores, non est quod laboremus: alii enim sunt, qui contento cursu eos persequuntur, quos quod ex hac terra effugerint, nunquam illi Diis vota persolvent. Sed præi: agnosce vero, ut tenens teneris ipse, utque venantem te cepit fortuna: dolo enim malo quæsita stabilia non manent.

Neque cujusvis alîus hac in re utêris opera: quippe ex ea quam nunc ostendis audacia satis intelligo, te nequaquam viris armisque destitutum ad tantam injuriam inferendam accessisse; sed præsidium est aliquod, cui tu fidens hæc patrasti. Hoc vero dispicere me oportet, nec committere, ut hæc civitas uni succumbat viro. Numquid hæc intelligis? an frustra tibi dicta putas quæque nunc audis, et quæ audisti, quum ista machinareris?

CR. Nihil hîc mihi dices, quod refellere valeam: domi vero et nos sciemus quid facto opus sit.

TH. Abi modo, et minare quantumvis. Tu vero nobis, Œdipe, quietus hîc mane, et confide, me, nisi prius moriar, non desiturum, priusquam tuarum te compotem filiarum fecero.

OED. Bene sit tibi, Theseu, cum ob animum generosum, tum ob hanc erga nos justam providentiam.

CH. Utinam illic adessem, ubi concurrentes infestis armis viri ferristrepum Martem miscebunt, vel ad Apollinea litora, vel ad illa lampadibus fulgentia, ubi verendis sacris mortales excolunt Venerandæ Deæ, quarum aurea clavis linguas etiam coërcet ministrorum Eumolpidarum; ibi puto bellicosum Thesea in geminas innuptas sorores cito incursurum pugna haud impari, his in regionibus. An usque ad occiduum petræ nivalis jugum campestribus ex Œæ pascuis, concitatis equis et curribus, fuga contendent? apparebit terribilis accolarum Mars, terribile quoque Thesidarum robur. Cunctis enim ex frenis fulgor emicat; omnesque properant ornatos phaleris equos conscendere, qui equestrem colunt Minervam, marinumque terram ambientem Rheæ carum filium. Remne gerunt, an cunctantur? Quam præsagit mihi animus mox redditum iri virginem acerba passam, acerbisque impetitam injuriis a consanguineis! Conficiet, conficiet aliquid hodie Jupiter. Vates sum felicium prœliorum. Utinam, ceu velox columba præpeti concita volatu, ætheriam in nubem sublatus, ipsorum certaminum visu expleam oculos meos! O qui omnia cernis, Jupiter Deorum rex summe, tribuas hujus terræ rectoribus, ut triumphali robore expeditionem hanc, partaque præda, conficiant; tuque, veneranda virgo, Pallas Minerva, nec non venatorem Apollinem, sororemque maculosos sectantem celeripedes cervos, obsecro geminam opem ferentes adsint huic urbi et civibus.

O vage hospes, speculatorem me haud dices falso augurari: eccas enim puellas video prope huc rursus se conferentes.

OED. Ubi, ubi? quid ais? quid dixti?

ANT. O pater, pater, quis Deorum tibi præstet, ut fortissimum videas virum, qui nos huc remisit tibi?

OED. O filia, anne adestis?

ANT. Quippe, manus hæ nos Thesei servarunt, fidorumque comitum.

OED. Accedite, ô filiæ, ad patrem, et sinite me vestra, quæ neutiquam reditura speraveram, contingere corpora.

ANT. Quod petis, consequêris: nobis enim cupita gratia est.

OED. Ubi, quæso, ubi estis?

ANT. En una ambæ accedimus.

OED. O carissima germina!

ANT. Genitori quidquid genuit carum.

OED. O fulcra viri—

ANT. Infelicis sane infelicia!

OED. Carissima teneo pignora; neque adhuc omnium ero miserrimus, si moriar, vobis adsistentibus mihi. Applicaminor mihi, ô filia, utrumque ad latus; adhærete genitori, finemque imponite solitariæ et miseræ vagationi, ad quam modo redactus eram: et mihi quæ gesta sunt narrate paucissimis: nam vos, id ætatis, brevis decet sermo.

ANT. Hic est qui nos servavit: hunc audire oportet, pater; et sic tibi brevis erit mea oratio.

OED. O hospes, ne mirere quod animo meo morem nimis geram, si, liberis meis insperato redditis, produco sermonem. Quod enim ex illis gaudium capio, id tuum esse scio et a nemine alio ortum: tu enim eas servasti, nec quisquam alius mortalium. Proinde digna tibi, ut opto, præmia Dii ferant, ipsique et huic civitati; quandoquidem apud vos hominum solos pietatem inveni, et æquitatem, verbaque fallere nescia. Hæc autem expertus, hisce sermonibus gratum testor animum: habeo enim, quæ habeo, per te, nec quemquam alium: et mihi manum, ô rex, porrige dextram, ut tangam, exosculerque, si fas, tuum caput. Quanquam quid dico? quomodo infelix ego attingere postulem virum, cui nulla suscepta est flagitii macula? haud sane faciam, nec, si concedere velis, sinam. Soli enim mortalium, quos usus edocuit, harum ærumnarum oneri adjutando pares sunt. Tu vero istinc mihi salve, et in posterum mei curam gerito juste, ut fecisti hodie.

TH. Neque si longiori usus es sermone, lætitia affectus ob receptas hasce tuas filias, demiror, neque si, me posthabito, priores eas allocutus es: nihil enim horum nobis grave est. Non enim sermonibus studemus inclarescere magis quam factis. Idque re ipsa ostendo. Quæ enim juratus promisi tibi, senex, horum nihil est in quo fidem non exsolverim. Quippe has tibi adduco salvas, illæsasque omnibus quæ minitabatur Creon. At hoc certamine quomodo victoria parta fuerit, quorsum attinet jactabundum me narrare, quæ quidem ipse ex his, quibuscum versaris, rescies. Sed rem, quæ mihi modo huc venienti renuntiata est, animum adverte, siquidem, parva licet dictu, digna tamen admiratione est. Rem vero nullam negligere hominem decet.

OED. Quid rei est, fili Ægei? doce me, ut qui sciam eorum nihil, quæ tu audiisti.

TH. Aiunt virum quemdam, haud quidem ejusdem tecum consortem civitatis, cognatum vero, supplicem vobis ad aram Neptuni sedere, ad quam sacra faciebam, quum tumultu hîc orto excitatus fui.

OED. Cujatem esse aiunt, quidve petentem hac supplicatione?

TH. Haud scio, nisi unum: a te enim, ut narrant mihi, exiguum expetit officium, nec plenum negotii.

OED. Quodnam? haud enim parvum quid minatur hæc sessio.

TH. Illum postulare aiunt, ut sibi liceat ad te accedere et tecum colloqui, tum tuto abire, nihilque mali passum, quod huc venerit.

OED. Quisnam esse possit, qui sic supplex sedet?

TH. Vide, num Argis quis vobis cognatus sit, qui hoc a te velit consequi.

OED. 'O carissime, ne ultra progredere.

TH. Quid vero est tibi?

OED. Ne me obsecra.

TH. Quanam super re? dic mihi.

OED. Sat scio, his auditis, quis ille sit, qui ad aram sedet.

TH. Et quis tandem est, quem dignum reprehensione judicem?

OED. Filius meus, ô rex, odium, cujus ego sermones ex omnibus maximo cum dolore sustinerem audire.

TH. Quid vero? non tibi audire licet, quæque nolis, non facere? cur audire tibi sic molestum est?

OED. Invisissima, ô rex, vox illa patris accidit aures, et ne me eo redigas, ut invitus hæc tibi concedam.

TH. Sed id si flagitat supplex ad aram sedentis habitus, vide an non Dei religio tibi servanda sit.

ANT. Pater, obtempera mihi, tametsi adolescentula te moneo. Virum hunc sine suo ipsius animo obsequi, et Deo, sicut cupit; et nobis concede ut frater veniat. Non enim te, confide, invitum à sententia absterrebunt, quæ ille tibi non commoda dixerit. Verba autem audiisse, quid nocuerit? sane consilia recte cogitata verbis declarantur. Genuisti illum: quare, etiamsi erga te scelestissime se gesserit, ne tibi quidem fas est male illi rependere: sed missum eum fac. Sunt et aliis mali liberi, et ira acris; sed amicorum blandis alloquiis moniti, mulcentur deliniunturque. Tu vero ne nunc malà illa respectes, quæ passus es ob commissa in patrem matremque piacula; quanquam si illa penitus inspicias, cognosces, sat scio, quam malus sit iræ impotentis exitus. Habes enim hujus rei haud leve argumentum, quod effossis oculis lumine orbatus es. Verum nobis cede: non enim diu decet obsecrare, qui justa petunt, neque ipsum te par est beneficium accepisse, et acceptum nescire rependere.

OED. Nata, vincitis me vestra oratione, ut vobis morem geram in re mihi permolesta: sit igitur, ut vobis placet. Tantum, hospes, si quidem ille huc venerit, ne quis vitam meam in sua potestate habeat.

TH. Hæc semel dixisse satis est: bis audire nolo, senex. Nec libet gloriari; tu tamen salvum te tamdiu scito, dum me Deus quis servabit.

CH. Quisquis longiorem vitæ sortem, mediocri haud contentus, appetit, ille sinistri esse ingenii, me judice, censebitur: quandoquidem longi sæpe dies tristes curas propius admovent; læta vero non facile videas illi contingere, quem immodicam delapsum in cupiditatem, ne morte quidem impendente, capit satietas; quando senectus hymenæi, citharæ et chorearum expers

apparuerit, et ad extremum ipsa mors. Natum non esse, sortem vincit alias omnes: proxima autem est, ubi quis in lucem editus fuerit, eodem redire, unde venit, quam ocissime. Nam simul ac juventas adest stultas levitates afferens, quis effugit multiplices labores? quæ non miseria adest? cædes, seditiones, lites, pugnæ, et invidia: tandem supervenit, odiosa, viribus defecta, morosa senectus, amicis orba, ubi omnia mala malorum pejora cohabitant: in qua infelix hic, non ego solus, Boreale velut littus undique fluctibus hiemeque quatitur; sic et hunc a vertice insurgentes calamitatum fluctus assiduis quatiunt procellis; hæ quidem a solis occasu, illæ vero ab ortu, aliæ quum sol medio ex orbe spargit radios, aliæ nocturnis splendentibus astris.

ANT. Atqui eccum nobis, ut videtur, pater, gradum huc confert hospes ille incomitatus, ora rigans lacrymis.

OED. Quis is est?

ANT. Quem et olim cogitabamus, ipse hîc Polynices adest.

POL. Hei mihi! quid faciam? an mea ipsius mala prius deflebo, puellæ, an quæ hujus video patris senis? quem peregrina in terra vobiscum inveni hîc ejectum, cum veste tali, cujus inamabilis squalor senili adhærens corpori, membra situ tabefacit; et in capite oculis orbo impexa coma ventis diffunditur: hisque, ut videtur, consimilia habet miseri ventris alimenta. Quæ quidem sero nimis cognosco perditissimus ego; et testor me pessimum omnium huc venire, qui, ne te victus deficeret, providere debuerunt: hoc ex aliis ne quæras. Sed Jovis etiam assidet solio Pudor omnibus in factis; tibi quoque, pater, assistat. Horum enim quæ peccavimus remedium quidem est; at ea exprobrare nihil amplius attinet. Quid taces? loquere aliquid, ô pater; ne me averseris. Nihilne mihi respondes? sed contemptum ita dimittes, nihil locutus, ne declarata quidem iræ tuæ causa? O viri hujus progenies, meæque sorores, at vos saltem conamini movere patris morosum os et haud affabile, ut ne spretum me Dei supplicem ita dimittat absque ullo responso.

ANT. Dic, ô miser, ipse qua gratia veneris. Plerumque enim sermo vel oblectationem aliquam, vel offensionem ferens, aut ad misericordiam movens, vel obstinate silentibus vocem aliquam exprimit.

POL. Ergo eloquar; probe enim tu me commones; primum quidem ipsum hunc Deum orans, ut sit adjutor, cujus ex ara me huc venire excitavit hujus terræ rex, a quo data mihi venia dicendique et audiendi tuto cum commeatu: hæcque ut a vobis, hospites, mihi contingant, et ab hisce sororibus, patreque, impense cupio. Cujus autem gratia venerim, jam tibi volo dicere, pater. Patrio e solo expulsus sum in exsilium, quia regio in tuo throno sedere volui pro meo jure, ut qui natu sim major. Quapropter me natu minor Eteocles ex urbe pepulit, non ut qui rationum momentis causam vicerit, nec qui se manu factisve meliorem me esse ostenderit, sed persuasis civibus. Quorum equidem causam in Erinnyn maxime confero, tuarum dirarum testem quam opinionem confirmant etiam vatum responsa. Postquam

enim veni Argos ad Doricum, Adrastum adeptus socerum, conjuratos socios adjunxi mihi, terræ quicunque Apiæ principes ducunt, florentque bellica laude, ut, septemgemino exercitu contra Thebas cum his coacto, vel justa pugna moriar, vel horum auctores malorum e terra ejiciam. Sed hactenus ista. Cur tandem huc me contuli? Dicam. Tibi supplices, ô pater, preces admoturus, mei ipsius causa, sociorumque meorum; qui septem numero totidem nunc agminibus urbem Thebanam obsidione cingunt: qualis bellicosus Amphiaraus, armis qui primas obtinet, primasque auspiciis: secundus Ætolus est Œnei filius Tydeus: tertius Eteoclus Argivo cretus patre: quartum Hippomedonta misit pater Talaus: quintus Capaneus gloriatur suffossam Thebarum urbem statim se vastaturum: sextus Parthenopæus Arcas concitus fertur, nomine referens diu servatam olim matri virginitatem, Atalantæ partu editum se probans: ego vero tuus, vel, si ne vis, irati Genii filius, attamen tuus vocatus, duco intrepidum Argivorum ad Thebas exercitum: qui te per hasce tuas filias et tuam vitam, pater, obtestamur supplici petentes prece, ut iram gravem mihi remittas, fratris injuriam ulcisci properanti, qui me expulit, patriaque spoliavit. Si qua enim fides est oraculis, utris tu accesseris, horum victoriam fore prædixit Deus. Per nunc te fontes, perque cognatis jura dantes Deos, rogo obsequaris, et remittas iram: quandoquidem mendicus ego et hospes, tuque hospes etiam; alios autem observantes peregrina in terra degimus tuque et ego, eamdem fortunam sortiti. At is domi regno potitus, ô miser ego, utrumque nostrûm pariter irridens, molliter vivit: quem, si tu consilia mea adjuvabis, facili negotio brevique tempore dissipabo: sicque in domum tuam te restituam, restituamque me ipsum, illo per vim ejecto. Et hæc, si tua voluntas accesserit, gloriari mihi licet; at sine te ne sospitari quidem valeo.

CH. Huic viro, illius qui misit causa, Œdipe, quodcunque tibi expedire videbitur responde, eumque sic dimitte.

OED. At nisi terræ hujus rex Theseus illum huc misisset, a me responsum ut ferret postulans, haud sane, viri, vocem ille unquam meam audiret: nunc vero is honor ei habebitur, abibitque auditis ex me talibus, quæ nunquam ejus vitæ lætitiam afferent. Qui, ô scelestissime, sceptra, et solium quum tenebas, quæ nunc tuus frater Thebis tenet, tuum ipse patrem hunc expulisti, patriaque extorrem fecisti, eoque redegisti, ut hac indueretur veste, quam nunc intuens lacrymas, quando in easdem miserias conjectus es. Hæc vero deploranda mihi non sunt, sed ferenda, quamdiu viventi mihi sedebit animo parricidæ tui memoria. Tu enim in has ærumnas me detrusisti; tu me expulisti; tua quoque opera vagus ab aliis mendico quotidianum victum. Quod si non hasce genuissem mihi nutricias filias, haud sane superessem amplius, tua quidem causa: nunc autem hæ me servant, meæ sunt hæ altrices; hæ viri sunt, non feminæ, adjuvandis meis ærumnis: tu vero fraterque tuus ex alio, non ex me, nati estis. Quapropter te Deus intuetur, nondum tamen qualem mox, siquidem hæc

moventur agmina contra Thebarum urbem. Non enim est, ut oppidum illud evertas; sed, prius sanguine concides fœdatus, simulque frater tuus. Has ego vobis diras et antea imprecatus sum, nuncque eas rursus invoco, ut auxilio adsint mihi, quo justum esse intelligatis, parentes revereri, neque eos afficiatis contumelia, quod tales quum sitis, cæcum habeatis patrem. Hoc enim istæ non fecerunt. Itaque tuam sedem tuosque thronos diræ illæ occupabunt, siquidem prisca dea Justitia Jovis adhuc assidet solio, veteres servans leges. Tu vero in malam rem abi, exsecratus abdicatusque patri, scelestorum scelestissime, hasque tecum aufer diras, quas tibi imprecor, ut neque terra patria bello potiaris, nec redeas unquam cavum ad Argos: sed cognata manu cadas, occidasque eum a quo ejectus es. Hæc tibi imprecor, et invoco odiosum Erebum, Tartari tutelarem Deum, ut te illuc habitaturum deducat: has quoque Deas invoco, simulque Martem, qui vobis atrocis illius odii furorem injecit. Atque hæc quum audieris abi, atque hinc digressus renuntia Cadmeisque cunctis, et tuis simul fidelibus sociis, tales Œdipum filiis suis rependisse gratias.

CH. Polynices, haud tibi gratulor ob susceptum huc iter; at nunc rursus abi, quam potes celerrime.

POL. Hei mihi! heu infelix iter, quam mihi cessit male! heu socios meos! hunccine ergo ut nancisceremur finem ab Argis movimus? ô me calamitosum! talem quidem, qualem neque renuntiare cuiquam liceat sociorum, nec fas pedem referre; sed tacitum oportet me in hunc casum incurrere. Sed vos, ô germanæ hujus viri filiæ, quandoquidem diras, quibus me defixit hic pater, audiistis, ne me tamen, per Deos obsecro, si quando imprecationes istæ exitum sortitæ fuerint, vobisque contingat aliqua domum redire, ne me inhonoratum patiamini, sed sepultura afficite, sepulcroque solemnia mittite. Sicque vobis ad istam laudem, quam ab hoc viro pium ob laborem reportatis, alia non minor accedet ob officium mihi præstitum.

ANT. Polynices, obsecro te, morem mihi gere.

POL. Qua in re? dic, ô carissima Antigone.

ANT. Quamprimum ad Argos converte retro exercitum, et ne te ipsum civitatemque perditum eas.

POL. Sed fieri hoc nequit. Qui enim rursus easdem cogere possim copias, si semel timore correptus fugero?

ANT. Quid vero necesse est, ô fili, impotenti iræ iterum te indulgere? Quid te juvabit patriam evertisse?

POL. Fugere turpe est, meque priorem ætate ita irrideri a fratre.

ANT. Viden' ergo, ut ipse hujus viri oracula ad exitum perducere properas, quibus vobis necem mutuam prænuntiat?

POL. Vaticinatur enim quæ futura sunt; quo minus inter nos gratia reconcilianda est.

ANT. Hei mihi miseræ! Quis vero audebit te sequi, quum audiet qualia vir hicce ediderit oracula?

POL. Adversa non renuntiabimus: boni enim ducis est læta proferre, at infausta silentio premere.

ANT. Siccine ergo, ô fili, hæc tibi decreta sunt?

POL. Ne me retineas: namque curæ mihi erit hoc iter conficere, quamvis infaustum et perniciosum, propter hunc patrem, ejusque Erinnyas. Vobis autem prospera omnia annuat Jupiter, si mihi mortuo illa quæ rogo confeceritis; vivo enim non erit amplius quod præstare possitis. Jam vero dimittite me, et valete; non enim aura vescentem videbitis me posthac.

ANT. O me miseram!

POL. Ne, quæso, me luge.

ANT. Et quis ruentem te ad præsens letum non lugeat, frater?

POL. Moriar, si fatale est.

ANT. Ne tu hoc velis, sed mihi obsequere.

POL. Ne suadeas, quæ non decet.

ANT. Atqui miserrima ego, si te privabor.

POL. Fortuna decernet, utro hæc casura sint modo. At Deos precor, vobis ut nihil unquam eveniat mali: indignæ enim estis omnino quovis infortunio.

CH. Novum sane et mirandum mihi acciderit, si infelices casus, quos prædixit lumine cassus senex, vis fati ad exitum non perducat: nullum enim divinum decretum habeo, quod frustra editum dicere queam; videt, videt illa semper tempus: quandoquidem et prius destinata huic viro infortunia novis incrementis in dies cumulans—Insonuit æther, ô Jupiter!

OED. O natæ, natæ, utinam, siquis hîc adest incola, huc mihi optimum Thesea arcessat!

ANT. Pater, quid rei est, quod illum advocas?

OED. Jovis hoc alatum fulmen ad Orcum me ducet illico. Verum agite, mittite quam primum.

CH. En fragor ingens intonat, fulmina torquente infandum in modum Jove: summi verticis comam horror erigit; animum sternit pavor: rursus enim cœleste fulgur coruscat. Quemnam portendit eventum? exhorreo: haud enim unquam emicat temere, nec absque novo quopiam casu. O magnus æther! ô Jupiter!

OED. O natæ, adest huic viro fatalis vitæ exitus, nec amplius est effugium.

ANT. Quî scis? qua ex re istud conjicis?

OED. Pulchre novi: sed quam celerrime profectus aliquis regem hujus terræ mihi adducat.

CH. Heu, heu! ecce iterum circumtonat horrisonus fragor. Propitius esto, Deus, propitius mihi, si quid infaustum huic meæ altrici terræ affers. Utinam cum pio converser; nec, quod scelestum virum viderim, malam gratiam reportem! Jupiter rex, te invoco.

OED. An prope adest vir? num adhuc spirantem, filiæ, inveniet me et compotem mentis?

ANT. Quid habes, quod illius fidei concreduas?

OED. Accepto pro beneficio plenam ei gratiam rependere volo, quam pollicitus sum.

CH. Eho, eho, ô fili, ades, ades, etsi forte ad aram extremæ

in littore positam marinum Deum Neptunum placas, veni. Ille enim hospes tibi, civitatique et amicis dignam cupit gratiam rependere pro acceptis beneficiis. Propera, citato cursu veni, ô rex.

TH. Quis iterum a vobis communis resonat clamor, clarus quidem vestrûm, manifestus et hospitis? Numquid Jovis fulmen, aut rupto nimbo præcipitavit grando? Deo enim tempestatem ciente, omnia hujusmodi exspectanda sunt.

OED. O rex, optatus advenis; et tibi Deorum aliquis secundavit hoc iter.

TH. Quid vero, ô nate Laïi, rursus exortum novi?

OED. Vita mihi ad exitum inclinat; et antequam moriar, promissorum tibi huicque civitati fidem liberare volo.

TH. Undenam proximi interitus capis præsagium?

OED. Ipsi mihi denuntiant Dei, nunquam fallentibus propositis signis.

TH. Quomodo ais, ô senex, hoc tibi aperiri?

OED. Audita sæpius continua tonitrua, crebraque me commonent invicta manu contorta tela.

TH. Fidem mihi facis: nam multa te vaticinari intelligo, eaque non falsa. Proinde quod facto opus sit declara.

OED. Ego docebo, ô nate Ægei, quæ rata tuæ urbi nullo consenescent ævo. Ad locum enim ipse mox præibo, nemine manu ducente, ubi me oportet mori. Eum autem indica mortalium nemini, nec ubi latet, nec in qua situs est regione; ut is tibi multorum vice clypeorum, externorumque subsidio arcessitorum militum, contra vicinos sit semper præsidio. Quæ vero arcana sunt, nec palam proferenda, solus tu disces, ubi illuc veneris. Nam neque civium horum ulli dixero, neque filiabus meis, etsi eas diligo. Sed tu solus ea recondita serva, quumque ad finem vitæ perveneris, illi tantum aperi, qui summæ imperii præfuturus sit; ille vero deinceps, continenterque omnes qui regnaturi sunt, quisque suo successori indicet. Et sic urbem hanc habitabis Thebanis inexpugnabilem. Quippe civitates innumeræ, licet bene institutæ, facile eo declinant, ut aliis injurias inferant. Dii enim acute quidem, at tarde intuentur, quum quis spreta numinis religione ad furorem vertitur; quod ne tibi accidat, ô nate Ægei, cave sedulo. Sed quid ego hæc scientem edoceam? Locum vero, urget enim me præsens a Deo fatum, adeamus jam, nec quidquam extimescamus. O filiæ, hac sequimini: ego enim dux vobis vicissim fio novus, ut ipsæ antea duces eratis patri. Ingredimini, et ne me attingite, sed sinite solum me invenire sacrum tumulum, ubi fatale est me hac terra condi. Hac pergite, hac inquam: hac enim me ducit Mercurius animarum deductor, et inferna Dea. O lux, cujus splendore careo, mihi quidem antea te frui licuit: at nunc ultimum te contingit corpus meum. Jam enim abeo supremum vitæ diem conditurus apud Orcum. At, ô carissime hospitum, ipseque et hæc terra, tuoque parentes imperio, fortunati sitis, et in rebus prosperis estote memores mei mortui, felicitate fruentes perpetua.

CH. Si fas est mihi tenebrarum potentem Deam, et te precibus venerari, rex Manium Aïdoneu, precor, ut nec laboriosa, nec dura morte defunctus hospes, subeat infera mortuorum arva, quo genus hominum conditur omne. Multa enim nec merita mala postquam te invaserunt, æquum sit, ut te vicissim fortuna benigne respiciat. O infernæ Deæ, invictaque bellua, quam ad postes cubare aiunt, et ex antro continuos utulatus ciere, indomitum Orci custodem .... quem, ô Terræ Tartarique progenies, precor ut placide occurras hospiti properanti ad infernas Manium lacunas: te inquam appello, te semper insomnem.

NUNT. O cives, quam brevissimis verbis dixero, vobis renuntians occidisse Œdipum: at quæ gesta, quoque modo singula peracta sunt, haud facile est brevibus expedire.

CH. Numnam periit infelix ille?

NUNT. Senilem vitam eum reliquisse scias.

CH. Quomodo? num divina ope, facilique casu?

NUNT. Hoc quidem jam admiratione dignum est. Quo enim modo hinc abiit, et tu, qui aderas, nosti, nemine amicorum ductore, sed ipse nos omnes ducens. Ubi vero pervenit abruptæ ad voraginis limen, æreis fundamentis ima in terra suffultum, constitit in una ex viis quæ in compitum coëunt, prope cavum specum, ubi Thesei Pirithoique manent fidorum semper fœderum monumenta: cujus loci, Thoriciæque petræ, cavæque silvestris piri, et lapidei tumuli in medio consedit: deinde exuit squalidas vestes: tum advocatis filiabus, jussit alicunde sibi afferrent vivæ aquæ lavacra et libamina: illæ autem frugiferæ Cereris in conspicuum collem profectæ, patris ea mandata celeriter exsequuntur, ipsumque lavacris de more et veste exornant. Quum autem omni peracto lætus esset officio, nec erat quidquam infectum eorum quæ mandaverat, intonuit quidem Jupiter inferus, auditoque fragore metu diriguerunt virgines: tum patris ad genua prolapsæ, lacrymas fudere, neque intermiserunt planctus, longosque gemitus. Ille vero, ut sonum derepente audiit acerbum, amplexus eas lacertis, dixit: *O filiæ, non amplius est vobis hac in die pater; periere enim omnia mea, nec amplius laboriosam habebitis mei alendi curam; duram quidem eam fuisse novi, filiæ; sed enim una hæc res mollit quidquid id est molestiæ: nam nemo est, qui vos majore, quam ego, prosecutus sit amore, quo jam orbatæ, quod superest ævi bene exigetis.* Hunc ad modum se invicem amplexi flebant omnes crebris singultibus. Ubi autem lugere desierunt, imo corde dolorem prementes, erat quidem silentium, quum subito exaudita vox quædam illum vocavit, cujus metu percussis cunctis subito arrectæ steterunt comæ: multum enim multisque modis vocabat eum Deus: *Heus, heus, Œdipe, quid cunctamur ire? jampridem tu in mora es.* Ille vero simulac sensit se a Deo vocari, jubet ad se venire terræ regem Thesea, qui ubi accessit, dixit: *O carum caput, da mei causa dextræ tuæ pristinum pignus filiabus meis, vosque vicissim, ô natæ, huic date: atque fidem tuam obstringe, te nunquam eas sponte proditurum, sed effecturum semper quæcunque mente benevola ex usu earum*

fore cognosces. Ille vero absque lamentis, ut vir generosus, jura mento promisit hospiti se illa præstiturum. Quæ quum is fe cisset, protinus Œdipus invalidis manibus amplexus filias, ait *O natæ, generoso animo huic necessitati parentes oportet vos hisc ex locis abire, neque, quæ nefas, postulare ut videatis, et non au dienda ut audiatis : at abite quam celerrime : adsit tantum The seus, qui summæ rerum præest, ut omnem eventum videat.* Tali loquentem exaudivimus simul omnes: largoque fletu rigante ora gementesque una cum puellis abscessimus: nec dudur abieramus, quum respicientes vidimus eum quidem virum nul libi amplius adesse, ipsum autem regem obtenta capiti man oculos tegentem, tanquam terribili aliqua objecta specie, cuju visum sustinere non posset. Denique haud longo post tempor videmus eum terram simul adorantem, eademque prece Olym pum, Deorum sedem, invocantem. At quo fato ille obierit, n unus quidem mortalium dixerit, præter Thesea. Neque enir illum Jovis igniferum fulmen confecit, neque marina quæpiar procella, tunc temporis coorta; sed aut Deorum aliquis eur deduxit, aut ima dehiscens tellus benigne eum excepit Maniur caligine. Haud enim vir ille gemebundus, nec morbi doloribu exhaustus occidit, sed, si quis alius mortalium, dignus ad miratione. Hæc autem quum dicam, si cui videar minu sana esse mente, qui de me ita sentiunt, iis haud facile conce serim.

CH. Ubi vero sunt puellæ, quique eas deduxerunt amici ?

NUNT. Illæ non longe absunt: clarus enim lamentorum so nus huc eas accedentes indicat.

ANT. Ah, ah, heu! adest, adest nobis jam, non ut hoc so lum, absque alia calamitate, lugeamus, nos infelices lucem hau sisse scelesto patris satu, cujus gratia constanti animo multas va riasque pertulimus ærumnas : ad extremum inerrabilium malo rum speciem inducemus, quæ vidimus et passæ sumus.

CH. Quidnam id est ?

ANT. Ne cogitatione quidem id assequi licet, amici.

CH. Obiitne ?

ANT. Ita quidem, ut tu lubentissime audias illum interiisse Quid enim ? utpote quem nec Mars, nec pontus sustulit; se caliginosæ hiatu terræ apertæ lacunæ eum absorpserunt incom perto leti genere. Me miseram! nobis autem exitialis nox ocu lis oboritur. Qui enim peregrina aliqua in ora, aut mari tumid vagantes, difficilem nanciscemur victum ?

ISM. Nescio. Utinam me sanguinolentus Orcus rapiat, una que cum sene patre miseram morte obruat : mihi enim quæ su perest vita non est vitalis.

CH. O geminæ filiarum optimæ, quod sors fert, æquo anim ferendum ; ne nimium incendite luctum : sors vestra nemin contemnenda.

ANT. Ergo malorum aliquod est desiderium ! Quod enim ne quaquam jucundum videri possit, id tum jucundum erat, quand illum manibus amplectebar. O pater, ô care pater, ô qui æter

is sub terra tenebris involutus es, nec, quum senilem ducebas vitam, inamatus unquam fuisti mihi, nec eris posthac.

CH. Perfecit igitur—

ANT. Perfecit quod voluit.

CH. Quale id est?

ANT. Qua cupiit, hospita in terra mortuus est, opertumque perenni umbra sub humo cubile habet: nec luctum reliquit indefletum. Namque te semper, ô pater, hic meus oculus lacrymis plorat stillantibus; neque scio misera, quomodo queam tam acerbum tui desiderium abolere. Heu! peregrino in solo non debuisses mori; verum ita mihi etiam desertus mortuus es.

ISM. O misera! quæ me fortuna jam manet ita desertam, omniumque egenam, teque, ô cara .... sic patre orbatas?

CH. Sed quandoquidem ultimum saltem vitæ diem feliciter composuit, desinite lugere, ô caræ; miseriarum enim nemo immunis est.

ANT. Retro abscedamus, soror.

ISM. Quidnam facturæ?

ANT. Desiderium me cepit—

ISM. Quodnam?

ANT. Inferam domum videndi—

ISM. Cujus?

ANT. Patris. Heu me miseram!

ISM. Qui vero fas sit eo accedere? nonne vides—

ANT. Quid ita increpas?

ISM. Et hoc, ut—

ANT. Quid me rursus absterres?

ISM. Insepultus obiit, et ab omni conspectu segregatus est.

ANT. 'Duc me eo, ibique me interfice.

ISM. Hei mihi miserrimæ! ubinam, quæso, posthac deserta, consiliique inops, vitam ærumnosa exigam?

CH. Caræ puellæ, ne quid metuatis.

ANT. At quo fugiam?

CH. Jam antea effugistis, ut ne quid mali accideret vobis.

ANT. Cogito—

CH. Quid tandem versas animo?

ANT. Quomodo domum redeamus, plane ignoro.

CH. Ne hoc quidem solicite inquire: laboriosum est—

ANT. Et antea fuit; siquidem graves nos semper urgent ærumnæ, modo quidem ultra, modo supra modum.

CH. Vasto sane pelago jactamini.

ANT. Vasto utique.

CH. Id quoque ego fateor.

ANT. Heu, heu! quo ibimus, ô Jupiter? ad quam enim spem nos Deus nunc impellit?

TH. Parcite lugere, puellæ: nam quibus mors exoptata contigit, eos deflere non decet: haud enim fas est.

ANT. O nate Ægei, ad tua accidimus genua.

TH. Quid vobis, ô puellæ, vultis a me fieri?

ANT. Tumulum patris nostri contueri cupimus.

TH. At fas non est eo accedere.

ANT. Quid ais, ô rex, Athenarum dominator?

TH. O puellæ, interdixit mihi ille, ne quis hos adeat locos, neve compellet quisquam mortalium sacrum sepulcrum, quo conditus latet. Quæ si observarem, dixit me terram hanc prospere semper habiturum incolumem. Horum itaque nobis conscius est Deus, et, quod omnia exaudit, Jusjurandum Jovis.

ANT. At hæc si illi placent, iis nos acquiescere par est. Nos autem Thebas deduc Ogygias, si qua forte fratribus imminentem necem prohibere possimus.

TH. Faciam et hæc, et quæcunque alia vobis utilia, eique grata facere possim, quem nuper mortuum terra recondit. Non enim defatigari me decet.

CH. Sed jam quiescite, nec ultra lamentis indulgete. Omnia enim hæc omnino sunt rata.

SOPHOCLIS

ANTIGONE.

DRAMATIS PERSONÆ.

ANTIGONE.

ISMENE.

CHORUS.

CREON.

CUSTOS.

HÆMON.

TIRESIAS.

NUNTIUS.

EURYDICE.

INTERNUNTIUS.

SOPHOCLIS

ANTIGONE.

ANT. O CARISSIMUM germanæ Ismenes caput, ecquid nosti calamitatum ab Œdipo ortarum, quod nobis in vita non adhuc conficiat Jupiter? nihil est enim triste, nec noxium, nec turpe, nec ignominiosum, quod tuis malis meisque adjunctum non viderim. Et nunc quid illud est rursus, quod ab urbis rectore aiunt universis civibus propositum fuisse edictum? tenesne, et inaudisti quidpiam, an te latet grassans in amicos inimicorum injuria?

ISM. Ad me quidem, Antigona, haud ullus perlatus est de amicis sermo, nec lætus, nec tristis, ex quo fratribus ambæ sumus orbatæ duobus, una die peremptis mutua manu: postquam vero Argivorum exercitus hac ipsa nocte in fugam se dedit, nihil novi ulterius, neque fortunata magis, neque damnis auctior.

ANT. Pulchre id noram: quocirca te foras prodire jussi, ut sola audires.

ISM. Quid est? Æstuare enim videris, aliquid volvens animo.

ANT. Nonne enim nobis Creon, decreto fratrum alteri sepulturæ honore, alterum eo privat indignis modis? Eteoclem quidem, ut aiunt, jus et fas observans, humo condidit, inferis honoratum Manibus: miseri autem mortui Polynicis cadaver civibus fertur edixisse, ne quis sepulcro contegat, neque adeo lamentetur; sinant vero indefletum, insepultum, gratum thesaurum alitibus pastus gratia irruentibus. Talia dicunt bonum Creonta tibi mihique, nam me quoque dico, edixisse: et huc venire, ut hæc ipsa, si qui forte ignorent, clare pronuntiet, hancque rem non deputare rem esse nihili; sed quicunque horum quid fecerit, decretum esse ut is a populo lapidibus obruatur. Ita tibi hæc se habent: et mox ostendes an generosa sis, an vero ex bonis ignava.

ISM. Nam quid, ô misera, quum res in eo loco sit, factis meis ego vel solvens vel adstringens legem, prodesse possim?

ANT. An operam sis collatura, meque adjutura, vide.

ISM. Quo me incepto periclitari vis? quæ tua tandem est sententia?

ANT. An cadaver mecum sustolles.

ISM. Num illud ergo sepelire cogitas, etsi, nequis id faciat, publice interdictum est?

ANT. Meum scilicet, tuumque, etiam si nolis, fratrem: nunquam enim proditionis me alligabo.

ISM. O præcipitem audaciam! Num Creonte prohibente?

ANT. At nullum ei jus est, ut a meis me arceat.

ISM. Hei mihi! revoca in animum, soror, pater ut nobis periit odiosus infamisque, qui postquam ipse sua deprehendit flagitia, propria sibi manu oculos effodit; tum illius mater eademque uxor, geminum titulum sustinens, suspendio sibi vitam ademit; tertium vero fratres duo una die, semet occidentes miseri, necem sibi invicem intulere mutuis manibus. Nunc tandem nos duæ solæ relictæ, considera quanto pejoribus exemplis perituræ simus, si, infractis legibus, edictum regis vel imperia transgrediamur. Sed et hoc cogitare oportet, feminas nos esse, haud viris certare pares, tum subditas nos esse potentioribus, ita ut nobis necesse sit in his rebus obtemperare, aliisque adhuc acerbioribus. Proinde ego manes inferos, ut veniam dent, precata, quia vi huc compellor, summam rerum obtinentibus morem geram: nam majora viribus aggredi, dementia est.

ANT. Neque te jusserim, neque adeo, si velis operam conferre, lubens te utar adjutrice: sed sequere sententiam tuam: illum autem ego sepeliam; quod si fecero, decorum mihi erit mori: cara cum caro jacebo, pio peracto facinore. Nempe longius est tempus, quo me inferis placere oportet, quam his quibuscum hic versor: illic enim semper jacebo: tu vero, si ita videtur, quæ apud Deos sanctissima habentur, aspernare.

ISM. Haud equidem aspernor: sed invitis civibus quidpiam facere nullo pacto valeo.

ANT. Tu quidem ista prætexas, ego vero jam ibo, carissimoque fratri aggesta humo tumulum excitabo.

ISM. Hei mihi miseræ, quam male tibi metuo!

ANT. Ne mea causa metuas: res tuas in tuto colloca.

ISM. Hoc saltem inceptum nemini indicaveris; sed etiam omnes habe, itidemque ego celabo.

ANT. Hei mihi! palam eloquitor. Multo invisior eris tacens nisi omnibus hæc prædicaveris.

ISM. In re frigida calet tibi cor admodum.

ANT. At placeo, sat novi, quibus maxime me placere decet.

ISM. Si tu quidem possis; sed majora viribus affectas.

ANT. Proinde cessabo, quum nihil potero amplius.

ISM. At impossibilia sectari non decet omnino.

ANT. Si hæc loqui perrexeris, mihi quidem odio eris, infensumque tibi merito mortuum habebis. Sed sine me meamque temeritatem acerba illa pati: patiar enim nihil tam dirum, quin decore moriar.

ISM. At si tibi videtur, ito: hoc autem scias, stultam te quidem esse, sed amicis probe amicam.

CH. O jubar solis, omnium quæ septiportis Thebis prius affulserunt, pulcherrima lux, apparuisti tandem, ô aureæ diei oculus, Dircæa transcendens fluenta; quod in fugam compulsum acutiori freno cursum contendere coëgisti insignem candido clypeo virum

ab Argis egressum cum omni bellico apparatu, qui contra nostram urbem Polynicis ambiguis incitatus jurgiis, transvolavit acutum clangens, ut aquila in terram se demittens, nivea tectus ala, multis cum armis, comantibusque galeis. Stans vero supra ædes, cruentis inhians undique cum hastis circa septem portarum ora, abiit, priusquam nostro sanguine satiaret malas, et turrium propugnacula piceus Vulcanus corriperet: tantus a tergo exortus est strepitus Martis, adversario draconi inexsuperabilis. Jupiter enim superbæ linguæ jactantiam impense odit, et eos intuitus multo cum impetu irruentes, aureorum armorum crepitu, et superbia, vibrato dejicit fulmine parantem jam summis in mœnibus victoriæ lætum clamorem tollere: repercussus autem ictu fulminis quassatusque in terram cecidit ignifer ille, qui prius insano furore debacchans, vim infestissimorum ventorum flatu suo incitaverat. Aliter quidem in alios grassatus est, hos vero in alios invexit casus, cunctos deturbans præstans robore magnus Mavors. Nam septem duces ad septem portas locati, pares contra pares, fugatori Jovi reliquerunt ærea arma, præter miseros illos, qui patre uno matreque una nati, in se utrinque victrices hastas dirigentes, communis mortis ambo perceperunt partem. At enim præclaro nomine gaudens Victoria venit, curruum agitatrici Thebæ invicem gratificans. Jam vero confectorum modo bellorum oblivia inducere decet, Deorumque templa omnia adeamus pervigilibus choris: ducat autem Bacchus, qui Thebas concutit. Ecce vero novus hujus urbis rex Creon Menœcei filius, ob recentem casum Deorum invectum numine, accedit, aliquod consilium volvens animo, quandoquidem conventum hunc seniorum indixit, quos communi præconio arcessivit.

CR. Viri, civitatem hanc, quam multis quassarunt fluctibus, jam in tuto Dii erexerunt denuo: vos autem per nuntios jussi seorsum ab omnibus convenire, quia vos novi cum Laii imperium sedulo semper coluisse, tum regnante Œdipo, illoque exstincto, erga ejus gnatos, in eadem fide constanti animo permansisse. Quando igitur illi gemino fato una die periere, mutuis ictibus perempti nefaria manu, ego jam imperium omne et solium obtineo, ut qui defunctis cognatus sum proximus. Vix autem virum quempiam noris quo sit ingenio, qua solertia, quidve consilio valeat, antequam in administratione rei publicæ et legum tritum eum videris. Quicunque enim civitatem universam regens, non optimis adhæret consiliis, sed formidine aliqua linguam comprimit, is pessimus esse et nunc et olim mihi videtur: et quicunque patria sua potiorem judicat amicum, illum nullo in loco pono. Ego enim, testor Jovem omnia semper cernentem, silere nollem, damnum si viderem ingruere civibus loco salutis; nec unquam, si quis patriæ hostis sit, ejus viri amicitiam amplectar: quippe compertum est mihi, patriam esse, quæ servat cives, amicorumque copiam nobis fore, si salva illa prospero rerum fruamur cursu. Talibus ego placitis obsecutus hanc augebo urbem, nuncque horum affinia civibus edicere jussi circa Œdipi filios. Eteoclem quidem, qui pro hac urbe pugnando, re fortissime gesta, periit,

ut condant sepulcro, omnibusque condecorent inferiis, quas strenuorum virorum Manibus ferre solemne est. Illius autem fratrem, Polynicen dico, qui exsul huc reversus, urbem patriam et Deos patrios flammis abolere voluit, voluitque sanguinem haurire cognatum, concivesque suos in servitutem abducere, hunc, inquam, interdictum esse aio, ne quis tumulo mandet, neque defleat, sed sinant insepultum, alitibus canibusque prædam et ludibrium. Hæc mea est sententia; nec a me unquam honorem consequentur improbi, qui justis competit: sed quicunque benevolus huic urbi est, mortuus et vivus pariter a me honorabitur.

CH. Eadem quæ tibi, nobis etiam placent, Menœcei gnate Creon, circa civitatis hujus hostem, et circa amicum: lege vero uti qualibet penes te est in mortuos, et in viventes, quotquot sumus.

CR. Vos igitur attendite, ut edictum observetur.

CH. Juniori alicui hoc munus manda.

CR. Sed jam constituti sunt cadaveris custodes.

CH. Quid igitur aliud præter hoc jubeas?

CR. Ne permittatis, si qui minus obtemperent.

CH. Nemo est amens adeo, ut mori cupiat.

CR. Est sane proposita hæc merces: sed homines sæpe lucri spes perdidit.

CUST. Haud equidem, ô rex, dixero, anhelantem me esse, quod citato gressu celeriterque venerim: moram enim solicitudines multæ objecerunt mihi, in via subinde me ipsum circumagenti, ut referrem pedem. *Miser, cur tendis eo, ubi pœnas dabis, simul ac veneris? at enim resistes miser? hæc autem si ex quopiam alio resciverit Creon, quinam, sodes, malum effugies?* Talia volutans animo, iter confeci tardus oppido, sicque longa fit brevis via. Tandem tamen consultissimum visum est huc venire: dicam autem, tametsi iis quæ dicenda habeo nequaquam sim tibi satis facturus: hac enim spe fretus venio, nihil me aliud passurum esse, nisi quod fatale sit.

CR. Quidnam est, cur animo ita es anxio?

CUST. Primum tibi declarare volo quæ ad me attinent: neque enim ipse facti auctor sum, nec adeo qui fecerit vidi: proinde indignus sum qui ideo in malum quodpiam incidam.

CR. Caute sane rem circumspicis, et munis undique: videris aliquid indicaturus grave.

CUST. Periculosa enim metum afferunt plurimum.

CR. Nonne dices tandem, perfunctusque abibis?

CUST. Atqui tibi dico: mortuum aliquis modo sepelivit, abiitque, postquam cadaveri aridum injecit pulverem, inferiasque pro more fecit.

CR. Quid ais? Quis homo ausus est hæc facere?

CUST. Nescio: ibi enim neque securi quid erat cæsum, neque ligone effossum; dura sed terra, et humus infracta, nec plaustri sulcata rotis, ita ut nullo signo facti auctor cognosci posset. Ubi vero nobis rem ostendit primus diurnus speculator, omnibus triste miraculum visum est. Ille enim non conspicie[illegible]a-

tur; nec tamen tumulo conditus erat: sed tenuis superinjectus erat pulvis, defunctorie, ut ab aliquo piaculum fugiente: signa vero neque feræ, neque canis cujusquam apparebant, qui venisset et cadaver lacerasset. Tum acerba dicta inter nos vigiles jactari cœperunt, alio alium arguente; et res tandem ad verbera venisset; nemo enim erat qui rixam componeret. Quippe unusquisque aliis videbatur facinoris auctor, nec tamen quisquam manifestus erat: sed quivis a se crimen amoliebatur, cujus index nullus erat certus. Parati quoque eramus candens ferrum manibus tollere, perque flammas transire, et Deos adjurare, nos neque fecisse, neque cuiquam esse conscios qui facinus vel meditatus fuerit, vel patraverit. Denique quum scrutando nihil proficeremus, fari infit unus nostrûm, cujus ad sermonem metu perculsi ad solum omnes capita demisimus: nec enim poteramus contradicere, nec aliud quid excogitare, quod facto nobis usus esset; dixit autem ille, *rem omnem ad te referendam, nec celandam esse.* Atque hæc vicit sententia, ductisque sortibus, infelici mihi commodum hoc detulit fortuna. Adsum autem invitus apud invitos, scio. Diligit enim nemo malæ rei nuntium.

CH. Dudum sane, ô rex, tacitus mecum dispicio, anne divinitus hæc res contigerit.

CR. Desine, priusquam tua loquela in iram me concites, ne insipiens simul et senex deprehendaris. Dicis enim non toleranda, quum dicis Deos hujus mortui curam gerere. An tanto dignati honore sepultura eum affecerunt, ut bene meritum? illumne qui fulta columnis templa eum donariis crematurus venit, terramque eorum et cultum disjecturus? Num Deos vides honore malos prosequi? Non est. Sed et hæc ægre ferentes cives, dudum obmurmurabant mihi, clam capita quassantes, neque sub jugo cervicem, ut decet, habebant, ut imperio meo acquiescerent. Ab illis hos probe scio mercede inductos hæc perpetrasse. Nullus enim hominibus damnosior mos invaluit, quam uti argento; hoc et urbes devastat, hoc viros submovet domibus, hoc edocet, et bonas pervertit mentes hominum, ut ad turpia facta se applicent, dolosque monstravit hominibus nectere, et quodvis impium facinus admittere. At qui spe præmii hæc perpetrarunt, hoc adepti sunt, ut aliquando daturi sint pœnas. Verum si quid apud me valet Jovis reverentia, pro certo hoc scias, juratus autem tibi dico, nisi ipsum auctorem hujus sepulturæ inventum produxeritis ob oculos meos, non una morte satis dabitis supplicii: sed vivi pendentes hanc indicabitis injuriam, ut edocti lucrum unde petendum, in posterum inde rapiatis, et discatis non quolibet ex re quæstum bene comparari. Namque ex turpibus lucris plures malo mactatos videas, quam servatos.

CUST. Loquine mihi quidquam permittes, an conversus hinc abeo?

CR. Nescisne vel nunc quam moleste loqueris?

CUST. Auribusne an animo morderis?

CR. Quid vero? explorasne meus ubi situs sit dolor?

CUST. Facinoris auctor animum tibi contristat, aures ego.

CR. Vah! quam nimis garrulus es!

CUST. Tamen hoc saltem facinus nunquam commisi.

CR. Utique argenti cupidine vitam projiciens.

CUST. Vah! malum est profecto, si suspiceris, falsa suspicari.

CR. De suspicione argutare quantumvis: sed nisi hæc qui fecerint monstrabitis, experti fatebimini malis ex lucris damna gigni.

CUST. Maxime sane velim inveniatur: attamen deprehensus fuerit nec ne, hoc enim fortuna dijudicabit, non est ut videas tu me huc reversum. Etenim nunc præter spem opinionemque meam servatus, ingentes debeo Diis gratias.

CH. Multa quidem sunt mirabilia; nihil vero homine mirabilius est. Continuo canum ultra pontum procelloso flante noto fertur, circumfrementes transmittens fluctus. Tum supremam Deam, Tellurem immortalem, indefessam, exercet circumactis aratris per singulos annos, equino genere versans. Levium etiam genus avium cassibus circumdatum abducit, agrestiumque ferarum sæcla, pontique marinam sobolem nexis retium laqueis, vir præditus solertia: edomatque artibus agrestem belluam montivagam, jubatumque equum et montanum indomitum taurum jugum subire cogit, cervicibus impositum. Quin dicendi artem, sublimiumque rerum scientiam et civiles mores didicit, tum etiam inhabitabilis glacialis frigoris imbriumque subdialia tela fugere. Ad omnia ingeniosus, futuri providus, ab omni sibi præcavet malo: solius Orci effugium invenire non valet: difficilium tamen morborum remedia excogitavit. Callidus, ultra quam sperari possit, quodvis opus artificio perficere, modo bonum, modo pravum sectatur. Leges observans patriæ, vindicesque jurisjurandi veritus Deos civibus suis honoratus est: at civitate dignus ejici, si quis sine ullo honesti respectu ad omne facinus est audax: nec idem mecum tectum subeat, nec mecum conferat consilia, qui se ad hunc modum gerit. At ad quid hoc esse dicam mirum ostentum? dubius hæreo: qui potero infitias ire hanc, quam video puellam Antigonam esse? O misera, et misero patre Œdipode nata, quidnam istud est? Anne te isti adducunt regis imperio immorigeram, et in amenti deprehensam auso?

CUST. Hæc est illa, quæ facinus patravit: ipsam hanc deprehendimus sepelientem. Sed ubi est Creon?

CH. Eccum opportune rursus progreditur foras.

CR. Quid est? Ecquid contigit satis ex sententia?

CUST. Rex, mortalibus nihil est abjurandum: nam quæ prius animo sederant sequens evertit cogitatio: quandoquidem confidenter ego spopondissem nunquam me huc rediturum, ob minas tuas illas, quibus me antea conturbasti. Verum nulla voluptas est tanta, quam quæ percipitur ex insperato gaudio: proinde venio, licet sacramento abjuraverim, puellam hanc adducens, quæ deprehensa est cadaveri sepulturam parans. Sors hic jacta non fuit: sed meum est, non alius, quidquid nuntium hoc lucri afferet. Et nunc, rex, hanc ipse prehensam interroga, ut lubet,

et redargue: ego vero omni suspicione liber, merito his defungar malis.

CR. Cur autem hanc adducis, et unde?

CUST. Ipsa virum sepeliit: paucis omnia discas.

CR. An et intelligis, et vere dicis, quæ dicis?

CUST. Equidem hoc dico, quum eam sepelientem viderim cadaver illud, quod tu sepeliri vetueras. Satin' aperta et manifesta dico?

CR. Et quomodo conspecta est, atque in facinore deprehensa?

CUST. Sic acta res est. Postquam enim eo venimus, tuis illis minis atrocibus perterriti, primum terram omnem, quæ contectum erat cadaver, everrimus, putreque corpus nudavimus plane, tum editis in tumulis consedimus aversi ab aura, ne nobis teter odor ex illo afflaret, caventes; ubi invicem nos excitabamus conviciis, si quis huic labori minus esset attentus. Tantisper in eo res fuit, donec æthere in medio constitit lucidus Solis orbis, æstusque flagravit: atque tum derepente vehemens flatus e terra coortus, turbinem in altum tollens, aëris præcipuam pestem, implet campum, omnem dejiciens comam campestris silvæ: glomerato pulvere immensus conturbatur aër. Nos vero clausis oculis divinitus immissum tolerabamus malum: quo post longum tempus tandem sedato, puella hæc conspicitur, acuta voce lamenta fundens, tristis in modum aviculæ, quæ vacuum nidi cubile pullis orbatum videt. Sic et illa nudum ut cernit cadaver, lamentis ejulavit, dirasque facti auctoribus pœnas imprecata est. Nec mora, collectum manibus aridum injicit pulverem, et ex æreo affabre facto gutto triplici fuso libamine mortuo inferias facit. Nos vero conspicati adimus, eamque comprehendimus illico nullo perculsam metu: et interrogata de utroque facto, tum illo priori, tum hoc recenti, nihil omnino negavit. Quod quidem mihi gratum et triste simul auditu fuit. Ipsum enim me e malis evasisse, gratissimum: sed in malum amicos ducere, id triste est. Sed omnia ista præ mea salute parvi me pendere par est.

CR. Heus tu, quæ in terram demittis caput, te rogo: faterisne an denegas hæc fecisse?

ANT. Et fecisse fateor, nec est cur negem.

CR. Tu quidem aufer te hinc, ut lubet, gravi hoc absolutum crimine: tu vero dic mihi breviter sine ambagibus, nostine edicta, ne quis hæc faceret?

ANT. Noram: Qui vero ignorassem? manifesta enim erant.

CR. Et vel sic ausa es hasce transgredi leges?

ANT. Non enim eas mihi Jupiter statuerat, nec quæ Diis Manibus assidet Justitia, qui hasce mortalibus sanxerunt leges. Nec tantum valere credidi tua edicta, ut non scriptas firmasque Deûm leges, mortalis quum sis, queas convellere. Non enim heri fixæ illæ sunt aut nudius tertius, sed vigent ab omni ævo, nec novit quisquam quam dudum prodierunt. Has quod violassem, cujusvis hominis fastu perterrita, sane non debui Diis pœnas luere. Morituram enim me sciebam: quippini? etiam si tu non prius indixisses: quod si ante tempus moriar, id esse in lucro deputo.

X 2

Quicunque enim in multis, ut ego, miseriis vitam degit, si mortem oppetat, qui non ille lucrum ferat? sic sane mihi fatum hoc nancisci nihil dolet. At si fratris mortui insepultum sustinuissem cadaver, id mihi doleret: hisce autem quæ feci, non doleo. Tibi vero si videor stulte fecisse, propemodum dixerim, stulti judicio stulta sum.

CH. Durum ingenium ex duro patre ortum apparet puellæ: malis enim nescit cedere.

CR. At scito tamen præfractos animos plerumque concidere; firmissimumque ferrum igne coctum, rigidum, facillime comminui et frangi videas: parvoque freno feroces equos sedatiores reddi scio: haud enim convenit elato esse animo, qui aliis subditus est. Hæc autem tunc quidem contumeliose agere novit, quum sancitas leges transgredi ausa est: nunc vero, postquam facinus patravit, altera hæc est contumelia, quod his factis glorietur et rideat. Profecto haud amplius vir ego sum, sed ipsam virum deputare par fuerit, si hæc ei impune cesserit de me reportata victoria. Sed sive ex sorore, sive ex alia quavis prognata sit, quæ mihi sit tota familia conjunctior, ipsaque et soror non effugient, quin pessimis exemplis pereant; nam et hanc haud minus quam alteram hujus sepulturæ auctorem esse censeo. Et illam evocate: eam enim vidi modo intus rabentem, nec compotem sui. Quippe solet animus prius deprehendi fraudulentus eorum qui nihil recte in tenebris machinantur. Verum male odi, si quis in scelere deprehensus, tamen concinnis comere illud dictis parat.

ANT. Vin' amplius aliquid, quam me captam occidere?

CR. Nil sane amplius: hoc nactus, omnia nactus sum.

ANT. Quid ergo moraris? nam mihi tuis ex sermonibus nihil placet, neque placiturum sit unquam: parique modo meorum nihil tibi probatur. Atqui undenam celebriorem gloriam consequi possem, quam quod germanum humo condidi? his quoque omnibus, qui adsunt, idem placere diceretur, si non linguam præcluderet metus. At cum alia ob multa felix est qui regnat, tum quia licet ei facere dicereque quæ lubet.

CR. Sola tu hos inter Cadmeos hoc vides.

ANT. Vident et isti: sed tuam ut gratiam ineant, os comprimunt.

CR. Te autem non pudet alia ab his sentire?

ANT. Haud enim turpe est fratrem colere.

CR. Nonne etiam frater ille erat, qui contraria inferens arma occubuit?

ANT. Ex una frater matre et ex eodem patre.

CR. Cur, quæso, erga illum impia es, dum alteri honorem tribuis?

ANT. Impiam me esse ne ille quidem testabitur qui tumulo conditus est.

CR. Maxime vero, si illum parili honore cum impio dignaris.

ANT. Haud quaquam enim servus, sed frater periit.

CR. Nempe vastans patriam, alter pro patria quum stetisset fortiter.

ANT. Tamen ipse Orcus æquas leges postulat.

CR. At bonus cum malo paria sortiri renuit.

ANT. Quis autem novit, an apud inferos hæc sint pia?

CR. Haud unquam inimicus, ne quidem mortuus, est amicus.

ANT. At mihi non ea est indoles, ut aliorum odiis subserviam, sed mutuum amorem ut colam.

CR. Ergo, si amare tuum est, ad inferos profecta, illos ama: me autem vivo, non regnabit femina.

CH. Sed ecce pro foribus Ismena, mœsta nube frontem obducta, sororis ob desiderium fundens lacrymas, purpureum deformat vultum, venustas irrigans genas.

CR. Heus tu, quæ domi subsidens, ceu vipera, clam me exsugis; atque adeo inscius geminas pascebam furias, regnique mei pestes; age, dic mihi tandem, ecqui fateberis hujus humationis sociam te quoque esse, an jurabis te hujus rei ignaram esse?

ISM. Meum est facinus, modo hæc consentiat; factique et criminis particeps sum.

ANT. At in partem facinoris te venire non sinet Justitia, quia neque voluisti, neque te ego in societatem adscivi.

ISM. At me in malis tuis non pudet eosdem tecum periculi adire casus.

ANT. Quorum sit hoc opus, Orcus et inferi conscii sunt: at ego verbis amantem non amo.

ISM. Ne me, quæso, soror, ita despicatui habeas, indignamque reputes, quæ tecum moriar, unaque defuncto fratri justa fecerim.

ANT. Ne tu mecum una mortem obeas; nec, quæ non attigisti, tibi vindices: satis erit me mori.

ISM. Ecquænam mihi a te destitutæ jucunda esse possit vita?

ANT. Creontem roga: illius enim tu curam geris.

ISM. Cur hisce me excrucias, quum nihil prosit tibi?

ANT. Doleo equidem, etsi te irrideo.

ISM. Qua tandem in re juvare te possim?

ANT. Serva te ipsam: effugium tibi non invideo.

ISM. Hei mihi miseræ! itane tuæ mortis exsors ero?

ANT. Tu enim optasti vivere; ego autem mori.

ISM. Sed a me præmonita, quis futurus esset consilii tui exitus.

ANT. Pulchre tu quidem dixisti; verum his quæ feci sapere mihi ipsa videbar.

ISM. Atqui par est utriusque delictum.

ANT. Bono animo es. Tu quidem vivis: at mihi jampridem abrupta vita, ita ut nihil cuiquam nisi inferis debeam.

CR. Has puellas aio, alteram quidem mente modo excidisse, alteram vero amentem natam esse.

ISM. Non enim, ô rex, quæ fuit olim, usquequaque manet mens afflictis in rebus, sed movetur statu.

CR. Tibi certe emota est, quando mali facinoris particeps fieri haud verita es.

ISM. Quid enim mihi soli sine hac vivere volupe sit?

CR. Parce HAC dicere, non enim est amplius.

ISM. Ergone sponsam necabis tui ipsius filii?

CR. Sunt etiam aliis arabilia arva.

ISM. At non ut huic et illi complacitum erat.

CR. Malam ego conjugem filio meo nubere nolo.

ISM. O carissime Hæmon! ut te despicatui habet pater!

CR. Odiosa es tuque et tuæ nuptiæ.

ISM. Ecqui igitur ista tuum privabis filium?

CR. Orcus nuptias has finiet.

ISM. Decretum est, ut videtur, mortem ut hæc oppetat.

CR. Ita mihi tibique videtur. Absit omnis mora, atque il ducite intro, famuli: mulieres istas dehinc libere vagari neq quam convenit: refugiunt enim vel audaces, quum prope ja mortem intuentur.

CH. Felices quibus malorum immune labitur ævum. Quoi enim divinitus quassatur domus, horum vita nulla vacat calan tate, ad omnemque proserpit posteritatem aspera vis fati. Ha secus ac, si quando Boreæ vehemens flatus atram immittit proc lam, imumque commovet æquor, æstus marini salis profun excitam vadis nigram subvectat arenam; plangoribus resona percussa fluctu littora. Veteres Labdacidarum domus calamita vigere video, novis cladibus clades defunctorum excipientibu nec parentum ætas vim mali exhaurire valet, ut eo progenies lil retur; sed hanc quoque subvertit Deorum quispiam, nec ulla ab ærumnis requies. Modo enim Œdipi in domo ultimæ sti effulserat salus: tamen illam demetit inferorum Deûm cruen falx, consiliique amentia, et animi furor. Vim tuam, Jupit quis hominum fastus cohibere possit? quam neque somnus om domans labefactat unquam, nec rotatu indefesso volventes Deû menses. Senii expers æternis regis imperiis fulgentis Olyn splendorem. Hæc lex æternam vim obtinebit, et nunc, et po hac, et olim: nihil accidit hominum vitæ quod nimium juv nec ægritudine permixtum sit. Spes enim vaga multis mortaliu fructum sui præbet; multorum autem deludit leves cupidine imprudentem vero opprimit mentis error, priusquam igni ard pedem admoverit. Celebre dictum fertur a nescio quo sapient prolatum: *Malum aliquando videri bonum illi esse, cujus ment Deus impellit ad noxam, eumque perexiguo tempore extra calan tatem versari.* At ecce Hæmon, liberorum tuorum novissimu germen: ecquid sponsæ Antigonæ imminente leto contristat venit, pactis nuptiis frustrari impotenter dolens?

CR. Statim sciemus, quovis augure certius. O nate, nu auditis quæ in sponsam tuam decreta sunt, patri infensus ad an vero, quidquid egerimus, sumus tibi cari?

HÆM. Pater, tua sum in potestate; tuque rectis prædit consiliis me regis, quibus equidem obsequi nunquam recusab mihi enim nullæ tanti esse possunt nuptiæ, ut eas justis tuis i periis præferam.

CR. Scilicet hoc animo te esse par est, cedant ut omnia pat voluntati. Propterea enim cupit vir quisvis quæque liberos sus pere, sibique morem gerentes educere domi, ut et paternos i

micos ulciscantur male, amicosque eodem, quo pater, prosequantur honore. Qui vero cunque liberos genuit inutiles, quid illum dicas aliud, quam sibi molestiam genuisse, multumque inimicis risum? Ne nunc ergo, nate, voluptate victus, mulierisque cupidine, sanam mentem abjicias, et hoc tene, frigere amplexum pravæ mulieris, quam quis domi consortem tori habeat. Quod enim pejus esse possit ulcus, quam malus amicus. Sed tanquam malevolam despuens, puellam illam sine apud Orcum cui voluerit nubere. Ego enim, postquam illam manifesto deprehendi unam ex omni civitate edicto meo parere recusantem, haud sane committam ut me falsi arguant cives: sed illam morte multabo. Proinde Jovem imploret cognationis præsidem; nam qui mihi genere conjuncti sunt, si eos mihi immorigeros esse patiar, quanto minus obsequentes habebo extraneos? quicunque enim familiam probe regit, is et in administranda civitate justus videbitur: quicunque vero transgressus æqui limites vel leges violat, vel imperare magistratibus cogitat, non est ut is laudem a me consequatur. Sed quem civitas summæ rerum præfecerit, ei parere oportet, et in parvis, et in justis rebus injustisve: qui autem sic animatus sit, hunc virum nullus dubitarem, quin recte imperare posset, aliusque subjectus imperio jussa rite exsequi vellet, et belli in procella quo loco esset collocatus, mansurus esset, justum se præbens fortemque sociorum adjutorem. Licentia enim majus haud aliud est malum: hæc civitates perdit, privatasque subvertit domos: hæc in prœliis perrumpit ordines et in fugam vertit: at modestorum multis saluti est obedientia. Sic operam dare oportet ut servetur ordo et disciplina, nec committendum omnino ut femina potiatur imperio. Satius est enim, siquidem loco pelli necesse est, viro concedere; nec mulieribus ignaviores esse dicamur.

CH. Nobis quidem, nisi mens senio labefacta decipitur, dicere sapienter, quæ dicis, videris.

HÆM. Pater, Dii hominibus ingenerant rationem, omnibus, quotquot sunt, opibus præstantiorem. Quæ autem modo dixti vera esse nec auderem negare, nec qui negare possem scio: est tamen ut alius etiam vera dicere queat. Enimvero mei officii esse existimo, omnia prospicere quæ in te vel dicit quis, vel facit, aut si quid tibi vertitur vitio. Tuus enim vultus plebeio cuique timorem incutit, ea ne dicat coram, quæ lubens non audias: at mihi sermones hosce clam mussantium excipere licet: *Quantopere hujus puellæ vicem civitas doleat: ut ob facta maximis digna laudibus, pessime pereat mulierum omnium immeritissima: quæ suum ipsius fratrem in prœlio cæsum, insepultum haud passa sit crudivoris canibus alitibusque pabulum jacere: nonne hæc splendidissimis digna honoribus?* tales obscuri clam manant rumores. Mihi vero, pater, nihil aliud optabilius esse potest, quam ut omnia tibi læta eveniant. Quid enim liberis decori sit magis, quam florens pater? quidve patrem magis oblectet, quam liberorum prosperitas? Ne nunc ergo unicum hunc mente habitum indue, ut, quod tu dicis, aliudque præterea nihil rectum esse putes. Quicunque enim vel

ipse solus sapere videtur sibi, vel lingua aut animo pollere, nemo alius; tales si explices, sæpius inanes esse comperias. Sed virum, quamvis ille sit sapiens, discere multa haud indecorum est, et non nimis contra tendere. Vides hibernis imbribus tumida ad fluenta quotquot cedunt arbores, ut servant ramos; stirpitus intereunt, quæcunque obnituntur: similiter quoque navis gubernator, si adductum pedem laxare præfracte renuit, supinis, eversa rate, in posterum navigat tabulis. Verum age, remitte iram, et pœnitentiæ da locum. Judicium enim si quod mihi juniori inest, dico equidem longe optimum esse, si sua indole vir cujuscunque rei scientia abundet: sin minus, haud enim ita solet evenire, et a bene consulentibus præclarum discere.

CH. Rex, si quid hic opportunum dicit, æquum est te animadvertere; teque vicissim illi auscultare: recte enim dictum utrinque.

CR. Nos ergo istuc ætatis sapere docebimur ab adolescente?

HÆM. Nihil quidem doceare quod injustum sit: etsi vero juvenis sum, non ætatem magis decet, quam opera spectare.

CR. Ergone oportet legibus haud parentes honore afficere?

HÆM. Haud sane tibi auctor sim, ut malis honorem habeas.

CR. At hæcce non tali correpta est morbo?

HÆM. Utique hoc negat universus Thebanus populus.

CR. Scilicet, quæ imperare debeam, civitas mihi præscribet.

HÆM. Viden' ut nimis juvenilis iste tuus est sermo?

CR. Nimirum alius imperio, non meo, terra hæc subjecta erit.

HÆM. Quippe non est civitas, quæ unius tantum est viri.

CR. Non imperantis censetur esse civitas?

HÆM. Pulchre. Deserta scilicet urbe tu regnares solus.

CR. Hic, ut videtur, pro muliere propugnat.

HÆM. Si tu quidem mulier es: pro te enim propugno.

CR. O omnium pessime, qui cum patre litigas.

HÆM. A justo enim te aberrare video.

CR. Scilicet aberro, regni jura colens mei?

HÆM. Haud sane colis, dum Diis debitum honorem conculcas.

CR. O scelestum ingenium et a femina devictum!

HÆM. At nunquam me a turpibus devictum argues.

CR. Tamen omnis tuus hic sermo illi patrocinatur.

HÆM. Tibique etiam, et mihi, et Diis inferis.

CR. Hanc non erit unquam, ut vivam amplius ducas.

HÆM. Ergo morietur, et mortua aliquem perdet.

CR. An ad minas usque tua erumpet ferocia?

HÆM. Quæ sunt minæ autem, contra futiles dicere sententias?

CR. Magno tuo cum malo me castigabis, ipse mentis inops quum sis.

HÆM. Nisi pater esses, dicerem te desipere.

CR. Mulieris mancipium, ne me garriendo eneca.

HÆM. Vin' quidlibet loqui, et nihil vicissim audire?

CR. Itane vero? at haud impune, et ut certius scias, cœlum

hoc attestor, me sic conviciis impetiveris. Adducite huc illud odium, ut ob oculos illico præsenti moriatur proxima sponso.

HÆM. Haud sane me prope adstante, ne tu hoc unquam in animum inducas, hæc coram peribit; neque tu unquam caput meum oculis tuis obversari videbis, ut tibi porro inter amicos insanire liceat, qui te ferre velint.

CH. Hic vir abiit, ô rex, ira concitatus: atqui tale ingenium dolore ardens ad atrocia facta comparare se solet.

CR. Age abeat; faciat, cogitet supra humanam sortem: hasce tamen puellas non liberabit morte.

CH. Ergone utramque morte multare destinas?

CR. Haud quidem illam quæ cadaver non attigit: recte enim mones.

CH. Quonam autem eam supplicio statuis occidere?

CR. Abductam in locum, ubi nulla sint hominum vestigia, saxeo in specu vivam recondam, tantillo cibi, quantum piaculo sit satis, apposito, ut necis illatæ crimen tota effugiat civitas: ibique Orcum, quem solum colit Deorum, rogando forte impetrabit, ut ne mortem obeat; aut tunc tandem discet, supervacaneum esse laborem, si quis Deos inferos colat.

CH. Amor invicte, nullis artibus superabilis Amor, qui pecudum visceribus illaberis, qui puellarum mollibus excubas in genis, trans maria autem permeas, penetrasque te in ferarum abdita lustra; nec te immortalium quisquam fugere potis est, nec brevis ævi hominum. Quisquis vero te concipit, in furorem agitur. Tu vel justorum mentes devias abripis ad noxam: tu quoque inter consanguineos viros litem hanc concitasti: præpollet autem palam erumpens desiderium expetiti connubii pulchræ sponsæ: quod cum maximis inter initia rerum legibus pari præditum est potestate. Insuperabilis enim illudit Dea Venus. Quin et jam ipse ultra licitum feror hæc cernens, nec amplius lacrymarum fontes cohibere valeo, quum Antigonam hanc video ad Orci thalamum perduci.

ANT. Adspicite me, ô patriæ urbis cives, ultimam ingredientem viam, ultimumque jubar intuentem Solis, mihi nunquam posthac videndum: sed me communis Orcus vivam deducit ad Acheruntis oram, jugalis expertem tori, nec me nuptialis hymnus celebravit unquam: sed Acherunti nuptura abeo.

CH. Ergo celebris et laudem nacta, in has abibis mortuorum latebras, nec tabidis absumpta morbis, nec gladiorum ictus perpessa, sed libera, viva, sola utique mortalium, ad Orcum descendes.

ANT. Sane audivi Phrygiam quamdam Tantali filiam miserrimam periisse summo in Sipylo, quam, velut circumfusa hedera, saxea perdomuit germinatio: nec ipsam imbre liquescentem, ut fama vulgi est, nix unquam deserit, manantesque ex oculis lacrymæ perpetuo rore rigant cervices: cui me Fatum simillimam consopit.

CH. At illa dea erat et divino satu genita: nos vero homines et mortali sanguine creti. Quamquam tibi mortali præclarum erit, si dicaris æqualia Diis sortita fuisse.

ANT. Hei mihi! derideor. Quid me, per tutelares Deos, nondum mortuam, sed luce fruentem adhuc, contumelia afficis? O urbs, ô urbis opulenti cives: io Dircæi fontes, Thebæque curruum agitatricis nemus; tamen vos simul testes advoco, quemadmodum ab amicis indefleta, quali lege ad carcerem defossum vado inauditi sepulcri. Heu miseram! cui nec cum hominibus, nec cum Manibus, ulla consortio est; quæ nec inter vivos nec inter mortuos censebor.

CH. Progressa ad extremum audaciæ in altum Justitiæ solium impegisti graviter; nimirum paternam noxam aliquam luis.

ANT. Acerbissimum mihi dolorem refricas, nimis extentum luctum ob patris ærumnas, universamque nostram decantatorum Labdacidarum cladem. O materna nuptiarum noxa, incesti concubitus patris mei cum calamitosa matre, quibus ego tandem infelix edita fui; ad quos diris devota, innupta commigro. O infausti frater potite conjugii, mortuus ipse vivam me adhuc occidisti.

CH. Pietas est quidem, colere mortuos: sed nequaquam jussa transgredi licet eorum, penes quos est imperium. Te vero perdidit pervicax ingenium.

ANT. Indefleta, amicis orba, innupta, expeditum hoc ingredior iter. Haud amplius mihi sacrum hoc Phœbeæ lampadis jubar fas intueri miseræ; nec amicorum quisquam est, qui meam [illegible] adeo lacrymabilem vicem lugeat.

CR. Scitisne, querelas et luctus si morituri prodesse sentiant, neminem fore, qui iis desinat? Quin abducitis hanc quam citissime? et postquam eam, ut jussi, incluseritis solam desertamque in obtecto sepulcro, abibitis: sive ibi moritura sit, sive sub hoc tecto sepulta ævum ducat. Nos enim omnis immunes sumus piaculi puellæ hujus causa: sed nullum ei cum superis erit consortium.

ANT. O sepulcrum, ô genialis thalamus, ô defossa habitatio, æterna custodia, quo tendo ad meos, quorum miserabili leto absumptorum maximum numerum inter mortuos cepit Proserpina; quorum ego novissima, multoque sane pessimo exitio intereo ante fatalem diem. Sed illuc profecta, hanc maxime spem foveo, gratam me venturam patri, gratamque tibi, mater, et tibi gratam, ô germanum caput; quandoquidem mortuos vos ego manibus meis lavi et ornavi, inferiasque ad sepulcrum tuli: nunc autem, Polynices, quia cadaver tuum humo contexi, hanc fero mercedem. Atqui hunc honorem tibi pie recteque a me tributum fuisse sapiens quivis judicet. Haud enim unquam, si peperissem liberos, nec, si mihi conjux mortuus jacuisset insepultus, contra civitatis legem hunc suscepissem laborem. Ac forte quæras quanam ex lege hæc dicam. Nempe mortuo marito, alius esset cui nuberem; filiumque si amisissem, alium ex alio viro suscipere poteram; at patre et matre in Orco conditis, non est ut mihi frater possit unquam exoriri. At tamen quum ex hac lege, ceteris omnibus posthabitis, honore te affecerim, ô germanum caput, Creonti peccasse visa sum, facinusque atrocissimum admisisse. Et nunc correptam ita me abducit, tori jugalis, hymenæi festorum ca[illegible]

virum expertem, nulla conjugii sortitam præmia, nec dulci gavisam prole. Sed ab amicis deserta, misera sic viva deducor in mortuorum specum. At quænam, obsecro, transgressa Deorum jura? Quid amplius mihi miseræ prodest, Deorum opem poscere? quem juvabit auxilio vocasse? siquidem jam impietatis pœnas pie agendo nacta sum. Verum si hæc quidem Diis probantur, æquo animo meritas luamus pœnas; sin hi commeruerunt culpam, ne plura mala patiantur precor, quam mihi injuste inferunt.

CH. Puellæ hujus animus eorumdem adhuc ventorum flatibus agitatur.

CR. Quapropter plorabunt qui illam abducere cunctantur ideo.

ANT. Hei mihi! mortem proxime hæc vox accedit.

CR. Neutiquam te confidere jubeo fore, ut irrita fiant hæc decreta.

ANT. O terræ Thebanæ urbs paterna, Diique indigenæ, abducor ergo, nec moror amplius. Videte, Thebarum principes, regiam quæ sola superest filiam, qualia qualibus a viris patior, pietatem quia colui.

CH. Sustinuit etiam Danaë cœlesti lumine privari in æreo conclavi: inclusa autem in sepulcrali thalamo, necessitatis vinculis adstricta fuit. Atqui, ô nata, nata, genere erat nobilis, gremioque recondita servabat auriflua Jovis semina. At ineluctabilis est fati vis; quam nec imber, neque Mars, non turris, non undisonæ nigræ naves effugiant. Necessitatis sub jugum redactus est etiam impotens iræ filius Dryantis rex Edonum, quem Bacchus, ob contumeliosam indolem, saxoso conclusit in carcere: adeo a furore destillat terribilis vegetaque vis pœnæ! agnovit demum ille, se rabie incitatum, petulantis linguæ conviciis Deum læsisse. Enimvero cohibere voluit furentium feminarum orgia, sacrasque Bacchi exstinguere lampades, et tibiarum amantes irritavit Musas. Juxta Cyanea æquora gemini maris, littora sunt Bosporia et Thracius Salmydesus, ubi vicinas urbes colens Mars geminos Phinei filios a fera noverca vidit lumine orbatos execrabili vulnere, quod illa cruentis manibus, muliebribus armis, pectinum cuspidibus usa, oculorum orbibus infandum in modum inflixit. At miseri dolore tabescentes miseram matris lugebant vicem, infaustis ominibus nuptæ, infaustæque prolis parentis. Genus illa tamen antiquis ab Erechthidis ducebat; remotisque in antris nutrita fuerat procellas inter paternas, Boreæ filia, equos cursu prævertens celso super jugo, Deorum progenies: haud tamen secius hanc quoque longævæ Parcæ oppresserunt, ô nata.

TIR. Thebani populi proceres, venimus communi via duo, unius oculis videntes; cæcis enim haud alia est itineris faciendi ratio, quam ut a quopiam ducantur.

CR. Quidnam est, ô senex Tiresia, novi?

TIR. Equidem docebo; tu vero vati obsequere.

CR. Haud quidem antea a monitis tuis discessi.

TIR. Idcirco feliciter hanc urbem rexisti.

CR. Testari possum me in multis a te juvatum fuisse.

TIR. Cogita te nunc rursus in ancipiti periculo versari.

CR. Quidnam est? Quam me conturbant tua dicta!

TIR. Scies, ubi artis meæ audieris indicia. Nam quum sederem veteri in auguraculo, ubi erat mihi omnigenorum alitum statio, ignotum audii sonum clangentium avium insano percitarum impetu præter solitum morem; easque comperi sanguineis unguibus invicem se lacerare, quod quidem haud obscure significabat alarum strepitus. Quare perterritus, statim ad divinationem per crematas victimas aris in ardentibus me converti. At ex victimis flamma non promicuit; sed jejuna sanies e femoribus exsudans in cinere absumebatur, et fumabat et exspuebat, extaque sublata dissipabantur, revolutaque femora extra adipem jacebant quo contecta fuerant. Hæc a puero isto comperi, obscurorum sacrorum evanidam divinationem. Mihi enim dux ille est, ut aliis ego. Et hisce malis propter susceptum tibi consilium laborat urbs. Aræ enim et foci omnes pleni sunt nobis infausto Œdipi filio, cujus cadaver discerpunt feruntque passim alites et canes. Proinde sacra precesque nostras aversantur Dii, nec femorum accipiunt flammam: nec ulla ales auspicatos gutture edit sonos, postquam humani cadaveris pinguem depastæ sunt sanguinem. Hæc igitur, fili, expende: etenim omnibus hominibus commune est peccare: quum vero quis peccaverit, ille non amplius consilii mentisque inops dici dignus est, qui ubi in malum incidit, medelam adhibet, nec immobilis perstat. Nam pervicacia inscitiæ arguitur. Quin cede mortuo, neque peremptum punge. Quæ fortitudo est enecare mortuum? Hæc tibi benevolus bene consulo: bene monenti obsequi suavissimum est, si monita utilitatem ferant.

CR. O senex, omnes, tanquam sagittarii in scopum, tela in me mittitis; nec vestris quidem vatum artibus intentatus sum, cujus generis ab hominibus venditus sum et traditus jampridem. Lucramini, comparate vobis Sardicum electrum, si vultis, et aurum Indicum; at illum sepulcro non decorabitis; nec si Jovis aquilæ discerptum cadaver in escam auferre velint sub Divi thronum. Ne sic quidem, haud ullo hujus piaculi terrore motus, sepeliri eum permisero. Probe enim novi mortali nemini tantas esse vires, ut Deos possit polluere. Cadunt autem, ô senex Tiresia, homines vel maxime industrii fœdo lapsu, quum verba turpia perite loquuntur lucri gratia.

TIR. Hem! Ecquis novit, ecquis cogitat homo—

CR. Quidnam? qualem hanc communem sententiam crepas?

TIR. Quanto opibus omnibus præstat prudentia?

CR. Quanto quidem, ut opinor, desipere maxima noxa est.

TIR. Hujus tu quidem plenus es morbi.

CR. Vati maledicta regerere nolo.

TIR. Atqui id ipsum facis, falsa me vaticinari dicens.

CR. Vatum enim omne genus est pecuniæ avidum.

TIR. Et illud tyrannorum turpia lucra amat.

CR. Scin' vero, quidquid dicas, te imperanti mihi dicere?

TIR. Scio equidem; mea enim opera hanc servasti urbem.

CR. Peritus es vates, sed malis deditus artibus.

TIR. Adiges me ut immota pectore arcana eloquar.

CR. Move, eloquere, modo ne lucri gratia dicas.

TIR. Num ergo hucusque lucri gratia dixisse videor, te judice?

CR. At scito tibi consilia mea quæstui non fore.

TIR. At tu vicissim probe hoc scito, tibi non multas absolutum iri rotarum solarium vices, in quibus tuis ipse ex visceribus quempiam mortuum pro mortuis vicissim dabis; quia superorum aliquem ad inferos demisisti, viventemque animam ignominiose sepulcro condidisti, detinesque contra hîc inferorum expers Deorum, insepultum, justisque privatum cadaver: horum tamen nulla tibi est potestas, nec ad superorum Deorum jura pertinent: sed violenter ista facis. Quapropter ultrices, scelestosque semper adsequentes, insidiantur tibi Orci et Deorum Erinnyes, ut iisdem in his comprehendaris malis. Et hæc vide an corruptus pecunia dicam. Monstrabit enim nôn longi temporis mora virorum, mulierum tuis in ædibus lamenta: infensæque tibi omnes, en, conturbantur urbes, e quibuscunque civium laniata cadavera devorarunt vel canes, vel feræ, aut præpes aliquis ales, sceleratum odorem ferens in publicum civitates focum. Ista in te, molestus es enim, tanquam jaculator, ira percitus emisi e corde tela haud irrita, quorum tu calidum vulnus haud effugies. Tu vero, puer, nos abduc domum. ut hic animi impetum in juniores emittat, et discat alere linguam modestiorem, mentemque animi meliorem ea quam nunc fovet.

CH. Hic vir, ô rex, abiit dira vaticinatus. Scimus autem, ex quo crines hi senecta colorem commutarunt, nunquam illum in hac urbe falsi quid cecinisse.

CR. Novi et ipse, ideoque perturbor animum. Cedere enim, ignavi et timidi est; sin relucter, ne animum meum calamitate feriam, timendum est.

CH. Bono consilio opus est, fili Menœcei Creon.

CR. Quid igitur facere oportet? fare; ego autem parebo.

CH. Abi, ac puellam quidem defosso e specu dimitte: insepultum autem cadaver tumulo conde.

CR. Et ista probas, hisque consiliis obsequi me debere censes?

CH. Immo, rex, quam citissime. Celeri enim pede malesanos assequitur Deorum vindicta.

CR. Hei mihi! Vix quidem muto, muto tamen sententiam, hoc ut faciam. Necessitati frustra obluctandum non est.

CH. Abi ergo ut ipse hæc facias, nec aliis committe.

CR. Protinus ibo. Vos vero ministri, quique adestis, quique abestis, secures manibus capientes properate celsum ad locum; ego autem, quandoquidem sententiam eo converti, ut ipse ligavi, ita et ipse præsens exsolvam. Metuo enim, ut statas leges optimum sit servantem vivere.

CH. Multis inclyte nominibus, Cadmeæ decus ô puellæ, et Jovis altitonantis proles, celebrem qui colis Italiam, curamque geris Cereris in sinu communis Eleusiniæ, ô Bacche Baccharum metro,

polin Thebas habitans ad Ismeni liquida fluenta, ferique ad segetem draconis: te super bicipitem collem coruscans sacrorum conspicit flamma, ubi Corycia Nymphæ ambulant Bacchides, Castaliæque liquor fluit, ubi te Nysiorum montium hedera densa juga, viridisque ora vitibus consita prosequuntur immortalibus cantibus euantium, Thebana invisentem compita: quam tu omnibus colis magis urbibus, una cum matre tua fulminis ventis afflata. Quin et nunc, quando universa civitas fero colluctatur morbo, adveni salutifero pede, Parnasium superans jugum, aut resonans maris fretum. O ignem spirantium præsultor astrorum, nocturnarum vociferationum præses, puer, Jovis proles, appareas cum Naxiis Thyiadibus tuis comitibus, quæ te furentes pernoctibus lustrant choris, Orgiorum præsidem Iacchum.

NUNT. Cadmi Amphionisque ædium incolæ, nulla est hominis vita, qualicunque modo constituta sit, quam vel laudare vel culpare velim: Fortuna enim erigit, et Fortuna deprimit felicem et infelicem semper: nec ullus certus augur est fatorum mortalium. Quippe Creon, si quisquam alius, me judice, beatus erat, qui terram hanc quidem Cadmeam ab hostibus liberaverat, imperioque urbis potitus prospere eam regebat, florens generosa liberorum prole: at nunc dilapsa sunt omnia. Voluptates enim si quis vir amiserit, haud equidem puto illum vivere, sed animatum esse cadaver. Opibus enim polleas quantumvis domi, et vivas regio splendore; tamen si absit his gaudium, cetera ego fum umbra haud emerim viro præ voluptate.

CH. Quid novum hoc malum est, quod de regibus nuntiaturus venis?

NUNT. Mortui sunt: viventes autem fuere causa mortis.

CH. Et quis peremit? quis vero peremptus est? ede.

NUNT. Hæmon interiit; ipsius sed manu cruentatur.

CH. Patrisne dicis, an sua ipsius manu?

NUNT. Ipse se peremit, patri iratus ob sponsæ necem.

CH. O vates, quam vera ergo prædixti nimis!

NUNT. Quum sic se res habeant, de ceteris consulere expedit.

CH. Atqui video miseram Eurydicem prope, uxorem Creontis: huc autem domo egressa se confert vel audito filii casu, vel tem adest.

EUR. O vos omnes, quicunque adestis, cives, sermonem vestrum audivi, quum ostio propinquarem, egressura, ut Palladis delubrum adirem, Deæque adhiberem preces. Et claustra quidem occlusæ portæ laxabam, quum aures mihi ferit rumor domestici mali; metu perculsa revolvor supina inter famularum manus, et linquor animo. Verum quis fuit iste sermo, rursum dicite: malorum enim nequaquam inexperta audiam.

NUNT. Equidem tibi, cara hera, dicam omnia coram, nec quidquam prætermittam veri. Quid enim te deleniam verbis, quæ postea falso dixisse deprehendar? recta semper res est veritas. Tuum quidem ego conjugem sectatus sum, viam ei præmonstrans extremum in campum, ubi nefando modo jacebat adhuc canibus laceratum Polynicis cadaver: et illud, precati Trivia

Deam; Plutonaque, ut placidi remitterent iras, lavimus piis lavacris, congestisque ramis virentibus superstites reliquias combussimus: aggestoque excelso busto propria de humo, dehinc repetimus lapideum specum, puellæ Orco desponsæ thalamum. Sonum vero procul clarorum ejulatuum ex inferiis carente thalamo sublatum audit aliquis, heroque Creonti nuntiat currens: huic autem, quo propius accedit, magis offunditur dubius gemebundi clamoris sonus; suspiransque, luctuosam hanc pectore rumpit vocem: *O miser ego, an vera præsagit animus? iterne nunc facio omnium, quæ antea, infaustissimum? blanda me vox filii pepulit. At, vos famuli, accedite propius citi, et adstantes tumulo dispicite, ipsum subeuntes ostium, soluta prius compage saxi objecti, num Hæmonis veram audivi vocem, an a Diis fallor.* Hæc, ut jusserat exanimatus herus, inspeximus; intimoque in tumulo puellam quidem videmus collo pensilem, nodo textilis sindonis implicitam: illum vero juxta jacentem, mediamque amplexum virginem, sponsæ deflentem Orco demissæ interitum, patrisque facta, et miserabiles nuptias. At hic, ubi eum videt, graviter suspirans, intro pergit ad eum, multoque cum ejulatu eum vocat: *O miser,* inquit, *quid fecisti? quænam erat tibi mens? Quonam exemplo te perditum ibas? egredere, ô nate, supplex te rogo.* Illum vero trucibus oculis intuens puer, et vultu dicta respuens, nihilque respondens, ensem stringit ancipitem; patre autem fuga elapso, aberravit ictu: tum ille infelix, sibimet iratus, nulla interjecta mora, in ensem protentus, per medias costas mucronem adigit, flexilibusque lacertis, mentis adhuc compos, virginem complectitur: extremamque efflans animam, in pallidas puellæ genas crebrum emittit halitum purpureo mixtum sanguine. Jacet sic mortuus juxta sponsæ cadaver, connubialia sacra adeptus miser in Orci domo, exemplo suo docens homines, quanto temeritas maximum cuique sit malum.

CH. Quidnam hoc esse conjicias? Mulier rursus e conspectu evasit, priusquam locuta est boni vel mali quidquam.

NUNT. Et ipse subito hoc abscessu stupeo; attamen spe nutricor, illam, audita filii nece, urbem non incensuram questibus, sed interiore in domo famulis edicturam ut privatim lessum lamentando faciant: consilii enim non ita expers est, ut quidquam hac in re peccet.

CH. Nescio: at mihi silens stupor grave quid portendere videtur: temeraria vero esse solet magna ejulatio.

NUNT. Sed mox domum ingressus comperiam, num quid etiam cohibendum clam tegat animo irato: quippe bene dicis; etenim haud sine periculo est nimium silentium.

CH. Atqui eccum advenit rex ipse, monumentum insigne manibus gestans, haud alienæ, si fas est dicere, crimen, sed suæ ipsius noxæ.

CR. O mentium amentium peccata haud expianda, mortifera! O qui cognatos cernitis occisores et occisos! hei mihi! heu infelicem consiliorum meorum exitum! heu! nate, nate, juvenis, immaturo fato vita exsolutus es, mea, non tua, perditus dementia.

CH. Vah! quam sero videris Deûm justitiam agnovisse!

CR. Hei mihi! agnosco miser. Tunc scilicet, tunc, inquam, Deus gravi ingruens calamitate, caput meum percussit, atrocique concitus ira mentem meam emovit, hei mihi, impresso pede subvertens prioris fortunæ gaudia. Heu! heu! ô, labores hominum infelices!

INT. O here, ut multis malis mactatus es, quorum hæc quidem præsentia præ manibus habes, illa vero domum ingressus videris mox quoque conspecturus!

CR. Quænam alia calamitas hac major esse possit?

INT. Occidit uxor tua, mater hujus mortui, infelix, inflicto recens vulnere.

CR. O implacabilis inexpiabilisque Orci domus, cur me, obsecro, cur me perdis? ô luctuosæ calamitatis nuntie, quemnam edis sermonem? hei, hei! perditum virum iterum confecisti. Quid, puer, inquis? quid mihi narras novi? hei, hei! num exitiali isti calamitati accedere etiam uxoris cruentam necem?

INT. Intueri licet: ecce enim e penetrali effertur domo.

CR. Hei mihi! alterum hoc jam cerno malum miser. Quis tandem, quis me manet adhuc casus? habeo quidem in manibus jam natum miser, et illud ex adverso adspicio cadaver. Heu, heu, misera mater! heu nate!

INT. Hæc furore percita ad Hercæi Jovis aram provoluta—tum morte solvit oculos; postquam deflevit Megarei quidem prius defuncti inclytum thalamum, deinde et hujus, postremo autem tibi dira imprecata est, natorum homicidæ.

CR. Heu, heu! metu refugit animus. Cur non mihi lethale aliquis infligit vulnus ancipiti gladio? Miser ego, heu, heu! miserisque sum immixtus casibus.

INT. Nempe tanquam causa crimenque utriusque exitii ab hac defuncta objurgabare.

CR. Quo autem leti genere vita soluta est?

INT. Adacto sub jecur sua ipsius manu ense, simulac illa audiit nati lacrymabile fatum.

CR. Hei mihi! haud unquam in quemvis alium hominum h[illegible]rum a me transferetur culpa: ipse enim te occidi miser, ipse eg[illegible] verum dico. Io famuli, famuli, abducite me quam celerrime, a[illegible] ducite me procul, qui plane non sum magis quam nullus.

CH. Bene mones, si quid in malis est boni. Si quæ enim præsentia urgent mala, quo breviora sunt, eo videntur leviora.

CR. Age, age, appareat fatorum feliciter meorum ultimu[illegible] mihi supremum afferens diem; age veniat, ut nunquam die[illegible] alium videam.

INT. Futura hæc sunt: quæ præsens res postulat, procura[illegible] decet: illorum enim curam gerent ii, quibus convenit ea e[illegible] curæ.

CR. At quæ cupio tamen, eorum ut compos fierem opta[illegible] licuit.

INT. At nunc parce quidquam optare: nam fatalis calam[illegible]tatis nullum est mortalibus effugium.

CR. Abducite procul hominem miserum, qui te, ô fili, imprudens occidi, quique te etiam, uxor. Heu me miserum! Nescio quo vertam oculos, nec quo me conferam. Omnia enim perversa, quæ manibus teneo, quæque capiti meo impendent, intolerabile fatum advexit in me irruens.

INT. ....

CH. Sapere longe prima felicitatis pars est. Oportet autem omnibus pietatis erga Deos officiis fungi. At superbi, quum gravibus plagis afflicti, magnorum dictorum pœnas luerunt, sapere tandem docentur.

DRAMATIS PERSONÆ.

DEIANIRA.

FAMULA.

HYLLUS.

CHORUS VIRGINUM TRACHINIARUM.

NUNTIUS.

LICHAS.

NUTRIX.

SENEX.

HERCULES.

SOPHOCLIS

TRACHINIÆ.

DEI. Vetus est sanè dictum, hominum ore celebratum, quæ sit mortalium vita pernosci non posse, bonane an mala cuiquam, antequam fato functus fuerit. At ego vitam meam, prius etiam quam ad Orcum veniam, sat scio infelicem esse et ærumnosam; quæ quidem paterna in Œnei domo habitans Pleurone, tristissimo, si qua alia Ætolia virgo, nuptiarum metu anxia fui. Procus enim contigerat mihi Fluvius, Acheloum dico, qui triplicem indutus formam petebat me a patre, modo taurus ingressus manifestus, modo varius draco sinuosus, modo virili corpore taurinum subnixus caput; ex hirsuto autem mento rivi manabant fontani laticis. Tali equidem destinata sponso misera, mortem semper optabam, potius quam unquam hujus adirem torum. Post longam tandem moram lubenti mihi advenit Jovis Alcmenæque inclytus filius, qui pugna cum eo congressus, me liberat. At quales quidem fuerint certaminis illius labores, haud equidem enarrem; sunt enim incomperti mihi; at quicunque adsedit metu vacuus spectaculo, is narret. Ego enim aderam metu conturbata, ne mihi decus formæ dolorem conciret aliquando. Tandem vero certaminum arbiter Jupiter exitum dedit bonum, si modo bonus dici possit. Ex quo enim me, tanquam eximium victoriæ præmium, tori sociam accepit Hercules, semper me alius ex alio solicitat metus, curis ob illum anxiam. Nox enim affert, et nox dispellit angorem, alium mutans alio. Et vero liberos peperi, quos ille olim, ceu qui procul a finibus dissitos colit agros, tantum sementis adspexit tempore, et messis semel. Tale genus vitæ domo educit, domumque reducit virum, semper servientem alicui. Nunc autem quando imposita hæc certamina victor confecit, is me maxime conturbat metus. Ex quo enim ille Iphitum leto dedit, nos quidem hic in Trachine extorres hospitem apud virum habitamus: at ille quo abierit nemo novit: mihi sane discessu suo acerbas injecit curas; jamque propemodum scio mali aliquid evenisse illi. Haud enim breve tempus est; sed jam quindecim menses effluxere, nec ullum adhuc nobis remisit nuntium. Et accidit profecto gravis quis casus: usque adeo reformido, quas ille mihi discedens reliquit tabellas, quas ut absque noxa acceperim, Deos identidem precor.

FAM. Hera Deianira, multis quidem ego te vidi jamdudum lacrymis lamentisque Herculis abitum deplorantem; nunc vero, si fas est servilibus consiliis commonefieri liberos, me quoque hoc tantum tibi suadere licet. Quum tantus sit tibi liberorum numerus, cur unum ex iis non mittis, qui conjugem tuum investiget, maxime vero Hyllum, quem par est ostendere, si quam paternæ prosperitatis curam gerit. Eccum autem ipse domum properat celeri pede: quare si quid tibi opportunum dicere videor, potes ejus opera uti, meisque suasibus.

DEI. O care fili, vel ignobilium ex ore sermones recti prodeunt: mulier enim hæcce, serva quidem, tamen liberale elocuta est dictum.

HYLL. Quale? fac sciam, mater, si mihi fas scire.

DEI. Patre tamdiu peregre absente, tibi indecorum esse ait non inquirere ubi sit.

HYLL. At novi, famæ si qua fides habenda est.

DEI. Et ubi, quæso, terrarum audis eum, fili, commorari?

HYLL. Anno quidem præterito, diuturno tempore Lydæ mulieri servilia officia fecisse eum perhibent.

DEI. Nihil non turpe de eo audiamus, si et hoc sustinuit.

HYLL. At emissus est hac servitute, ut ego audio.

DEI. Ubi nunc ergo vivus aut mortuus nuntiatur esse?

HYLL. Eubœam in insulam dicunt Eurytique urbem infesto exercitu eum tendere, aut mox eo profecturum.

DEI. Nostin' vero, ô nate, quam certa de hac regione mihi reliquit oracula?

HYLL. Quænam, mater? horum enim nihil unquam audivi.

DEI. Scilicet vel illic supremum obiturum diem, vel hoc defunctum certamine reliquum exinde tempus ævi quiete et prospere transacturum. An non ergo, nate, patri tuo, quum in tali versetur discrimine, auxilium laturus ibis, quandoquidem vel incolumes sumus, eo incolumi, vel perimus simul et pessumdamur, patre tuo perdito?

HYLL. At illuc ibo, mater: si vero oraculi hanc sortem comperissem antea, jampridem adessem patri: at nunc postquam eam cognovi, nihil prætermittam, quin omnem hac de re veritatem inquiram. Veruntamen consueta patris felicitas nos animo formidines præcipere non sinit, nec terreri nimium.

DEI. Vade jam, ô fili; nam qui vel sero, simulac monitus est, ad bene faciendum se applicat, is lucrum aufert.

CH. Quem cita nox confecta gignit, sopitumque componit thalamo, flammantem Solem, te Solem precor, ut mihi Alcmenæ indices filium, ubi tandem habitat, ô lucido fulgore ardens, an angustam quampiam incolat mari circumfluam terram, vel utramcunque continentis plagam; dic, qui oculorum acie præstas omnibus. Audio enim procorum certamine nobilem Deianiram, desiderio conjugis querulam, velut orbam pullis avem, semper manantes lacrymis oculos dulci nunquam claudere somno, sed viri memorem, metuentemque ne absenti male eveniat, solicito viduoque toro confici semper, mali alicujus ærumnosique casus exspe-

statione anxiam. Ut enim, indefesso vel Noto vel Borea procellam ciente, multos vasto in ponto surgere fluctus videas, aliosque aliis impelli; ita Cadmigenam præsens exercet labor, aliæque multiplices impendent ærumnæ, vitaque haud secus agitatur ac Cressium mare: sed eum semper incolumem ab Orci limine deus arcet aliquis. Qua gratia te reprehendens, jucundam tibi me fore confido, licet adversa sententiæ tuæ afferam. Dico enim te animo concidere non debere, abjecta omni spe bona. Ne læta quidem omnia mortalibus destinavit cunctorum ille moderator rex Saturnius; sed acta in orbem redeunt omnibus ærumnæ et gaudia, ut Ursæ volubiles viæ. Nec enim astrorum ignibus distincta nox permanet mortalibus, nec morbi, nec divitiæ; sed præcipiti lapsu diffluunt: eidem alternis vicibus contingunt gaudia et luctus. Quocirca hæc te reputare animo, bonamque semper spem fovere volo, Regina: nam quis unquam Jovem liberis suis tam parum prospicere vidit?

DEI. Audito quidem, ut conjicio, meo mærore, ades: quantum vero macerer animo, utinam ne unquam iisdem oppressa malis discas: nunc autem totius rei expers es. Usque enim adeo lætæ sunt suæ juventutis sedes, in quibus pascitur: et illam nec ardens Sirius, nec imber, nec ullius venti flatus turbat: sed dolorum nescia voluptatibus cumulat vitam, donec aliqua mutato virginis nomine mulier dicatur, interque unius noctis gaudia suam curarum accipiat partem, quæ vel conjugi vel liberis metuentem macerabunt. Tunc pernoscat illa, suas ipsius res intuens, qualibus conflictor malis. Equidem jam olim acerba multa deflevi; unum vero, quale nunquam antea, modo eloquar. Quum enim peregre profecturus domo novissimum iter moliretur rex Hercules, tunc domi reliquit veteres tabellas inscripta continentes mandata, quæ mihi antea, sæpe ille exiens varia ut obiret certaminum discrimina, nunquam injungere in animum induxerat; sed ut magnum quid confecturus abire solebat, de morte ne cogitans quidem. Nunc vero, tanquam vita defunctus, jussit me nuptialibus potiri bonis, declaravit quota singulis liberis pars terræ paternæ cessura esset; tandem præfinito tempore, postquam ex hac regione egressus quindecim abfuisset menses, tum se vel moriturum constituit, vel, si hunc evasisset temporis terminum, quieta in posterum et læta fruiturum vita. Talem declaravit fato Deorum exitum destinari Herculeis laboribus, quemadmodum veterem fagum dixit respondisse olim Dodone geminarum columbarum ore. Et horum certus eventus in præsens tempus incidit, quo perfici ea necesse est. Quare, caræ virgines, quum dulci somno jaceo, subito percussa metu exsilio, ne me superesse oporteat omnium optimo viro orbatam.

CH. At nunc bene ominare. Quippe coronatum accedere video quempiam tibi quid nuntiaturum.

NUNT. Hera Deianira, primus ego nuntius metu te liberabo. Namque Alcmenæ natum et vivere scito, victoriaque potitum esse, et e pugna afferre primitias Diis qui hac in regione coluntur.

DEI. Quid istuc rei est, quod mihi dicis, senex?

NUNT. Mox domum tuam venturum multis expetitum votis conjugem, decore victoriæ insignem.

DEI. Et quonam a cive vel hospite auditum hoc refers?

NUNT. Herboso in prato famulus ista narrat Lichas præco; ex quo ego quum audii, avolavi, ut tibi primus hæc nuntians a te aliquid lucrarer, et inirem gratiam.

DEI. Ipse autem Lichas cur abest, quandoquidem res ei lætæ sunt et prosperæ?

NUNT. Haud expeditum iter est illi, hera. Circumstans enim eum Meliensis omnis populus percunctatur; nec potest ultra progredi. Quippe unusquisque optatum nuntium audire quum gestiat, nemo eum abire siverit, priusquam audiendi voluptate se expleverit. Sic ille nolens volentibus interest. Actutum eum coram videbis.

DEI. O Jupiter, intonsum Œtæ qui pratum incolis, dedisti nobis, sero licet, gaudium. Exclamate ergo, mulieres, quæque intra tecta, quæque extra estis; fruimur enim omnes hoc famæ lumine, quod insperatum mihi exortum est modo.

CH. Erumpite faustas in acclamationes, quicunque has incolitis ædes, votaque et preces ad aras fundite: nuptiale accinatur carmen; communi ore lætum clamorem extollant juvenes; pharetra decorum Apollinem præsidem, simulque Pæana, Pæana celebrate, virgines; invocate eodem genitam partu Dianam Ortygiam, cervorum jaculatricem, tædas utraque ferentem manu, sociasque Nymphas. In sublime feror, nec a me arcebo te, tibia, ô quæ meum moderaris animum! Ecce me perturbat implexus hedera thyrsus, impellitque me, certamen ad Bacchicum convertens. Io, io Pæan. Verum ecce, cara hera, hæc tibi coram licet intueri manifesta.

DEI. Video, caræ virgines, nec tam negligenter oculis observo, ut non hoc cernam agmen. Salvere autem præconem jubeo, longam post temporis moram conspectum, si quid lætum affert.

LICH. At bene quidem advenimus, bene autem peregre advenientem salute impertis, mulier, ut factis nostris dignum est. Qui enim prospere rem gessit, eum virum par est bonis compellari verbis.

DEI. O hominum carissime, primum, quod primum cupio, edoce, vivumne Herculem sim receptura.

LICH. Sane equidem ipsum reliqui valentemque et vivum et florentem, nec ullo gravatum morbo.

DEI. Ubi? patriane in terra, an barbara? cedo.

LICH. Est littus quoddam Euboïcum, ubi statuit aras, primitiasque offert Cenæo Jovi.

DEI. Votane ut solvat, an cuipiam ut pareat oraculo?

LICH. Vota redditurus tum suscepta, quando harum vastavit bello urbem mulierum, quas coram vides.

DEI. At istæ, per Deos quæso, cujæ sunt, et quæ? miserabiles enim videntur, nisi animo meo illudit falsa calamitatis imago.

LICH. Has ille, deleta Euryti urbe, exemit sibi Deisque selecta mancipia.

DEI. An et in illius urbis obsidione tam longum contrivit tempus, ex quo hinc profectus est?

LICH. Nequaquam: verum plurimo tempore apud Lydos detentus fuit, ut ipse ait, non liber, sed venditus. Et hoc quidem factum, mulier, reprehendere non licet, auctor cujus ipse Jupiter. Ille ergo venum datus Omphalæ Lydæ, servitio complevit annum, ut ipse memorat. Cujus quidem rei ignominia tanto dolore affecit animum, ut semetipsum juramento obstrinxerit sibi, eum, qui causa hujus dedecoris sibi exstitisset, cum liberis et uxore in servitutem redacturum se aliquando. Nec temere dictum fuit: sed, ubi expiatus fuit, collecto exercitu pergit ad Euryti urbem: illum enim solum mortalium causam tanti sibi mali esse affirmabat; qui ipsum, ut olim illius subiit domum pro veteris hospitii fœdere, multis lacessivit injuriis, insolenti animo multa probra ingerens; nempe illum, quamquam inevitabiles sagittas gestaret manu, tamen filiis suis imparem esse jaculandi peritia: objecitque, quod servus hominis liberi jussis exsequendis defatigaretur: tandem quum illum inter epulas vino gravatum videret, ejecit domo. Quarum injuriarum ira incensus, ubi venit deinde Iphitus Tirynthium ad clivum, equarum e pascuis abactarum quærens vestigia, tunc illum oculis alio, alioque mente intentum, summa e turri præcipitem dedit. Ob hoc autem facinus ira commotus rerum omnium supremus auctor Jupiter venum datum eum relegavit, nec lente id tulit; quod illum ex omnibus solum dolo sustulisset Hercules: si enim aperto Marte injurias ultus esset, sane ignosset ei Jupiter inimicum merito perimenti. Injuriam enim non omnino amant Dei. Qui vero superbe Herculi insultarunt petulanti lingua, ipsi quidem omnes Orci nunc sunt incolæ, eorum autem civitas in servitutem redacta. At quas coram vides, ex felicibus illæ rebus tristem adeptæ sortem ad te veniunt. Hoc enim conjux tuus jussit, et ego fidus minister jussa exsequor. Ipsum vero illum, quum primum Jovi Tutelari puris immolatis victimis vota solverit ob captam urbem, crede adfuturum: hoc enim post plurima dicta bene verba jucundissimum est audire.

CH. Regina, nunc te manifesto perfundunt gaudio et ea quæ cernis, et ea quæ tibi nuntiantur.

DEI. Quidni enim gauderem jure optimo, prospera hac audita conjugis sorte? Necesse est admodum, ut mea his factis concurrat lætitia. Tamen inest his aliquis metus, si rem rite expendas, ne præsentem felicitatem casus quis olim subvertat. Mentem enim stringit, caræ virgines, vehemens miseratio, intuenti mihi has infaustas feminas, peregrina in terra, domo extorres, parentibusque orbas, propria carentes sede, quæ antea liberis forte viris satæ, servilem nunc sustinent vitam. O Jupiter, regnorum eversor, nunquam te videam meam contra prolem ita grassantem; saltem, si tale quid acturus es, ne me vivente agas! tam misere metuo, hasce intuens. O tu miserrima, quænam es adolescentula? Virgine expers, an mater? quantum quidem ex ætate conjicere licet,

nihil horum experta videris, generosa tamen. Licha, cujusnam, quæso, hominis est peregrina hæc puella? quænam illi mater? quis genuit pater? cedo. Namque hujus præ cæteris me miseret, quum videam quanto ceteris sit moratior, solamque sapientem esse.

LICH. Quid vero sciam? quid et me interrogas? forsan inter suos non infimo nata loco.

DEI. Num forte regis Euryti filia?

LICH. Nescio: neque enim exquisivi prolixius.

DEI. Nec nomen a quopiam viæ comitum audisti?

LICH. Minime. Silentio munus meum executus sum.

DEI. Quin dic ultro nobis, ô misera: nam et hoc quiddam ad calamitatem tuam confert, nescire nos, quæ sis.

LICH. Haud sane nunc minus parcet linguæ, quam pridem; quæ nullum unquam emisit verbum, nec magnum, nec humile; sed usque deplorans gravem calamitatem lacrymas fundit misera, ex quo patriam celsam reliquit. Sane quidem illa suo damno vocem premit; sed veniam meretur.

DEI. Illam igitur missam faciamus, eatque intro sic ut illi maxime libitum est, nec quibus gravatur malis accedat aliquid a me, quo contristetur magis: satis est illi præsentis ægritudinis. Nunc autem domum concedamus omnes, ut et tu, quo fert animus, properes, et ego operam dem, ut intus apparata sint omnia.

NUNT. Sed hic prius paulisper morata, ut discas, hisce remotis, quinam sunt illi quos ducis intro, quorumque nihil inaudisti ut percipias, quæ tua refert nosse; quippe horum ego plenam notitiam habeo.

DEI. Quid est vero? cur meum sistis gradum?

NUNT. Consiste et audi: neque enim te frustrata sunt quæ prius verba feci, nec, opinor, quæ mox facturus sum.

DEI. Utrum illos huc denuo vis revocemus? an mihi et his solis virginibus enarrare libet?

NUNT. Tibi et his quin dicam nulla causa est; at illos abire sine.

DEI. Quin jam abiere; nunc sermo proferatur.

NUNT. Horum omnium quæ homo ille dixit modo, nihil omnino verum est. Sed vel nunc mendax est, vel antea nuntius haud verus fuit.

DEI. Quid ais? liquido mihi ede quodcunque cogitas. Quæ enim effatus es, non intelligo.

NUNT. Hunc virum audivi dicentem multis coram testibus, hujus puellæ gratia Eurytumque et arduam turribus Œchaliam ab Hercule captam fuisse; solumque Deorum Amorem ipsum induxisse bellum hoc ut susciperet; non vero apud Lydos mansionem, nec præstitam Omphalæ servilem operam, neque in præceps dati Iphiti letum; cujus ille nunc amoris rejecta mentione, prioribus contraria dicit: verum Herculem, ubi patrem persuadere non potuisset, ut sibi filiam concederet, pellicis loco habendam, leve crimen causamque commentum, patriam hujus puellæ invasisse copiis, in qua Eurytum aiebat obtinere regnum, occidisseque re-

quum hujus patrem, et urbem devastasse. Et nunc, ut vides, domum repetens, puellam hanc præmittit non sine singulari cura, neque ut servam; ne id exspectes, mulier: neque enim verisimile est, quum sit incensus amore. Proinde visum est mihi, hera, totum hoc tibi declarare, quod ab eo didici: et hæc multi media in concione Trachiniorum una mecum audivere, ut adeo facile sit eum redarguere. Si vero ingrata dico, non lætor equidem, attamen verum est quodcunque prolocutus sum.

DEI. Hei mihi miseræ! Quonam in malo versor? quamnam admisi sub tecta pestem occultam? O misera! itane obscura est illa nomine, ut jurabat qui eam adduxit, quæ vultu et forma adeo splendida est?

NUNT. Patre quidem genita Euryto olim Iole vocabatur, cujus ille quidem parentes referre non poterat, ut qui scilicet nihil inquisiverat.

CH. Pereant nolim omnes improbi, sed quicunque dolo, quæ non decet, moliuntur mala.

DEI. Quid me facere oportet, mulieres? Quippe ego hujus sermone stupefacta mihi consulere nequeo.

CH. Domum ingressa, rem ex ipso homine exquire: namque verum confitebitur illico, si videaris tormenta admovere velle.

DEI. Ita sane faciam: non enim improbanda dicis.

CH. Nos vero, opperiemurne hîc, aut quid aliud nos facere vis?

DEI. Mane: hic vir enim haud a me accitus, sed sponte sua progreditur foras.

LICH. Quid me oportet, mulier, renuntiare Herculi? doce; jam me proficisci vides.

DEI. Itane, vix tandem post longum tempus huc revectus, tam cito abire properas, priusquam didicerim quid vobis interea contigerit novi?

LICH. At si quid percontari vis, en ego adsum.

DEI. Bonane fide responsurus es?

LICH. Testis mihi sit Jupiter, quidquid mihi cognitum erit.

DEI. Quænam ergo est hæc femina, quam huc adduxti?

LICH. Ex Eubœa est: quibusnam vero parentibus nata sit, dicere nequeo.

NUNT. Heus tu, huc respice: quicum loquì te existimas?

LICH. At tu, cur, sodes, hoc me rogas?

NUNT. Aude respondere, si sapis, ad id quod te rogo.

LICH. Cum regina Deianira Œnei filia, uxoreque Herculis, nisi me fallunt oculi, dominaque mea.

NUNT. Hoc ipsum, hoc ex te audire volebam: aisne dominam hanc esse tuam?

LICH. Quippini?

NUNT. Quid deinde? Quonam supplicio te dignum esse fatebaris, si erga hanc falsiloquus deprehendaris?

LICH. Quî falsiloquus? quas mihi narras ambages?

NUNT. Nullas equidem: at tu jamdudum strenue id agis.

LICH. Quin abeo. Satisne stultus sum, qui tibi tamdiu aurem commodem?

NUNT. Haud sane abibis, priusquam breve quid rogatus responderis.

LICH. Dic, si quid vis. Nam linguæ temperare non potes.

NUNT. Captivam illam, quam deduxisti domum, nosti scilicet?

LICH. Nego. Qua vero id sciscitaris gratia?

NUNT. Nonne tu hanc, quam te nosse dissimulas, Iolen professus es Euryti prolem esse?

LICH. Quos inter homines? Quis alicunde huc veniet, qui tibi testis sit hæc ex me audiisse coram?

NUNT. Frequentes inter cives: Trachiniorum media in concione plurima ex te hæc audivit multitudo.

LICH. Fateor: istud me audiisse dixi. At longe diversum est, opinionem referre, et rem ut certam affirmare.

NUNT. Quam mihi narras opinionem? Nonne jurejurando firmasti quod aiebas, Herculis conjugem te hanc adducere?

LICH. Conjugem autem ego? per Deos obsecro, cara hera, dic, quis tandem est hic hospes?

NUNT. Qui præsens ex te audiit, ut illius ob cupidinem urbs domita fuerit tota, nec eam vastarit pudor ob Lydiam heram, sed hujus conceptus amor.

LICH. Hominem hunc, ô hera, facessere hinc jube: quippe cum ægroto nugas agere, viri non est sapientis.

DEI. Quod te per Jovem summo in Œtæ fulgurantem nemore, ne hanc rem me celes: non enim mulieri verum fateberis, malæ, nec quæ sortem humanam ignoret, ut res voluptatum propria et perpetua data sit nemini. Et vero quicunque contra Amorem contendit, manusque, velut pugil, attollit, non recte sapit. Ille enim summos etiam Deos imperio regit, prout vult; et mihi quidem quum jura det, quidni et alteri, qualis ego sum? Quare si conjugem meum, hoc morbo correptum, quidpiam accusem, profecto insaniam, aut hanc feminam, quæ nullius mihi probri, nec ullius causa fuit mali. Non ita sum comparata. Sed, siquidem ab illo edoctus mentiris, pravam cepisti disciplinam: sin ipse temet ita erudis, quando voles verax esse, mendax videberis. At loquere quidquid veri est: ingenuo enim homini, mendacem vocari, turpis est nota. Quod autem fallere te speres, ne hoc quidem licet. Multi enim sunt, quibus dixisti, a quibus resciscam. Sin te cohibet metus, frustra metuis: nam si certior fieri nequeam, id me urat male: si vero rem comperiam, quid tam acerbum est? nonne et alias plurimas maritus unus duxit Hercules? quarum nulla unquam ex me verbum malum, probrumve tulit; nec feret ista tandem, ne siquidem illius amor Herculis animo penitus insederit. Illius enim miseret me maxime considerantem, ut formæ decus ejus vitam pessum dederit, utque nolens misera patriam suam vastarit et in servitutem redegerit. Sed hæc quidem ex voto et sententia cedant; tibi autem dico, erga quemvis alium mendax ut sis, at mihi semper veritatem dicas.

CH. Obtempera recta monenti huic mulieri; quod si feceris, nec te illi morem gessisse olim pœnitebit, et a me inibis gratiam.

LICH. At, ô cara domina, quoniam te video humana sapere,

ut hominem decet, nec expertem prudentiæ, rem tibi omnem eloquar vere, neque celabo quidquam. Est enim ita, quemadmodum homo hicce dicit. Puellæ illius impotens amor Herculis intimas subiit medullas, eaque ut potiretur, ærumnosam Œchaliam, paternam illius sedem, bello diruit. Et ista, æquum est enim me etiam, quæ illius causæ favent, dicere, nec jussit ipse silentio premere, nec infitiatus est unquam: sed ego ultro, ô hera, veritus ne animum tuum ægritudine afficerem, ista si tibi renuntiarem, peccavi, si quid a me peccatum fuisse censes. At vero quandoquidem nunc rem omnem nosti, quod illius tuaque pariter interest, feminam hanc fer æquo animo et boni consule, nec quæ de illa modo dixisti mutare velis. Ille enim ceterorum omnium victor certaminum, hujus amore prorsus devictus est.

DEI. Et hic quidem mihi est animus, ut ita faciam: neque ipsa mihi malum consciscam ultro, Deis obnixe resistens. Sed intro eamus, ut et tibi dicam quæ te verbis meis illi renuntiare velim, muneraque concinnem, quæ tu illi feras eorum vice quæ misit mihi. Haud enim consentaneum est, inanem te abire, qui huc veneris cum tanto commeatu.

CH. Invictum ubique Veneris est robur: et illa quidem prætermitto, quæ inter Deos facta sunt, nec ut Jovem deleniverit, dicam, tenebrosumve Plutonem, aut Neptunum quassatorem terræ. Verum hujusce mulieris flagrantes cupidine in certamen descenderunt validi duo proci, uter ejus potiretur nuptiis, omnimodisque depugnarunt conflictibus. Alter quidem erat magna vi præditus fluvius, quadrupedis tauri formam indutus, arduis cornibus armatum objectans caput, Achelous ab Œniadis: alter autem Bacchicis venit a Thebis, acres arcus, hastiliaque et clavam quatiens, Jovis filius; qui tum concurrerunt totis viribus, thalamis potiri cupientes. At sola in medio Venus arbiter est pugnæ. Tunc erat manuum, erat et arcuum, mixtusque taurinorum strepitus cornuum; erant etiam luctationes utrinque constringentes, erantque obnixorum capitum horribiles ictus, et gemitus amborum. At venusta tenera virgo conspicuo in colle sedebat, exspectans utrius futura esset conjux: sic autem ex matre audivi; ut formosa puella, propositum certaminis pretium, vultu miserabili exitum exspectaverit, utque a matre statim discesserit, ceu deserta vitula.

DEI. Dum, caræ virgines, hospes ille intus alloquitur captivas puellas, ut qui abitum paret, interea clam ad vos prodii foras, tum ut vobis enarrem quas struxi machinas, tum ut quæ patior infortunia vobiscum deplorem. Virginem enim haudquaquam amplius, sed jugali nexam vinculo, ad me recepi, onus velut nauclerus, damnosam sic mercem animo meo. Et nunc nos duæ manemus una sub stragula unius amplexus: talem Hercules, ille fidus nobis et bonus dictus, diuturnæ domus custodiæ mercedem remisit. Ego vero succensere quidem illi non soleo, qui toties laboravit hoc ipso morbo: at una in domo cum pellice habitare, quæ mulier sustineat unquam, in partem admittens ejusdem connubii? Illi enim florem eum esse ætatis video, qui in dies fiat vegetior, mihi vero marcescentem: in illo hærere solet viri oculus; ab hoc

aversus reflexit pedem. Hoc igitur misere metuo, ne conjux quidem meus verbo sit Hercules, re autem vir adolescentulæ. Verum hæc mitto: non enim, ut dixi dudum, irasci decet cordatam mulierem: qua vero ratione possim huic ægritudini mederi, eam vobis dicam. Erat mihi donum antiquum veteris Centauri, lebete æreo conditum, quod olim adolescentula hirsuti ex Nessi morientis vulnere sustuleram, qui per profundum amnem Evenum homines pacta mercede transmittebat, manuum, non remorum ope scindens vada, nec nauticis utens velis. Is et me, quum segregata a paterna familia, Herculem uxor primum sequerer, in humeros suscepit, medioque in freto cœpit attrectare manibus improbis: at ego exclamavi; et Jovis protinus filius conversus, manibus emisit alatam sagittam, quæ cum stridore perque pulmonem et pectus trajecta est feri. Hic autem ipsa in morte talia mihi locutus est: *Filia senis Œnei, hoc lucri facies mea ex transvectione, si parueris, quando novissimam te transmisi: si enim vulneris meo sanguinem abstuleris concretum circa cuspidem intinctam tabe Lernææ hydræ, erit tibi mulcimentum hoc Herculeæ mentis, adeo ut nullam aliam contuitus feminam, eam magis quam te amet.* Hoc quum in animum revocassem, amicæ; nam ex quo ille mortuus est, domi inclusum servatum mihi fuerat sedulo amoris hoc veneficium; tunicam hanc eo tinxi, adhibitis omnibus, quæ is, dum viveret, dixit, et jam omnia hæc confecta sunt. Malas autem artes neque sciam unquam, neque addiscam: et quæcunque provehuntur audaciæ, impense odi: philtris autem si forte hanc puellam superare valeam, et delenimentis hisce Herculi admotis, confecta rite res est, nisi vobis videor inania hæc moliri: sin vero, ab incepto desistam.

CH. Sane, si qua est his factis fides, videris nobis haud malum consilium iniisse.

DEI. Fides quidem ea est, ut sic futurum esse opiner; at nondum periculum feci.

CH. Sed factis scire oportet: nam etiamsi putas te rem tenere, haud tamen certam teneas, nisi experta.

DEI. At mox sciemus: illum enim video foras egressum jam, iterque ad Herculem celeriter conficiet. Tantum hæc vos arcana tacita premite fide: nam in tenebris turpia licet facias, haud tamen in probrum incides.

LICH. Quid me facere velis, significa, filia Œnei: nam longum jam tempus tardi moramur.

DEI. At hæc ipsa tibi ago sedulo, Licha, dum tu intus cum peregrinis confabularis feminis; nempe ut mea causa feras hanc pulchre textam tunicam, donum illi viro manus meæ. Quumque hanc dabis, mone, ut ne quis mortalium prior illo induat hanc corpori; neque adspiciat hanc, ne solis quidem jubar, neque sacrum delubrum, nec Laris familiaris focus, priusquam ipse solemnem ad aram consistens, conspicuam illam ostenderit Deis, qua die tauros mactabit. Sic enim vovi, siquando illum cernerem, vel audirem incolumem domum reversum, me eum rite amicturam hac veste, exhibituramque Deis sacrificium novum novo cum

[illegible]. Horumque perferes hanc fidem, quam ille facile agnoscet, si huic sigillo admoverit oculos. Sed abi, et serva imprimis legem non affectandi, nuntius quum sis, quidquam præter mandata agere; deinde cura, ut gratia illiusque tibi et mea collata ex simplice duplex fiat.

LICH. At, si constanti fide hoc Mercurii fungor munere, haud unquam erga te delinquam, quin cistam, ut mihi signatam eam tradidisti, offeram, verbaque adjungam fideliter, quæ dixisti mihi.

DEI. Quin vade jam: probe enim nosti quo in statu res sit domi.

LICH. Novi, et salva dicam omnia.

DEI. Quin nosti etiam, qui præsens adfueris, ut peregrinam illam puellam benevolo animo exceperim domo.

LICH. Ita ut præ gaudio cor meum obstupuerit.

DEI. Ecquid aliud præterea dices? metuo enim ne prius quantum flagrem illius desiderio dixeris, quam rescicam num pari teneatur mei desiderio.

CH. O qui maritima et saxosa calida balnea, Œtæque accolitis juga, quique medium Maliacum ad sinum, et littus innuptæ Deæ, aureæ, pharetra decoræ, ubi celebratur Græcorum ad Pylas conventus, dulcisona jam vobis tibia haud illætabilem edens cantum redibit, sed divinæ æmulum musæ. Jovis enim et Alcmenæ filius properat domum, omnigenæ virtutis spolia nactus: quem peregre profectum, vasti pelagi emensum spatia, totos duodecim mensium exspectavimus orbes, nihildum de eo scientes. Illius vero cara uxor misera, heu! miserum cor oppressa luctu, inexpletum lacrymans tabescebat: nunc vero Mars Amoris œstro percitus finiit laboriosum diem. Adveniat, adveniat actutum, nec usquam illius consistat multis acta remis ratis, antequam hanc ad urbem cursum confecerit, insulari relicta ara, ubi sacris operari dicitur, unde adveniat toto properans die, suadela delibuto implicitus peplo, ut semifer monstravit.

DEI. Mulieres, quam metuo, ne ultra quam oportuit confecta sint mihi omnia, quæ dudum feci!

CH. Quidnam est, Deianira, filia Œnei?

DEI. Nescio; sed anxia sum animi, ne brevi comperiar magnum malum fecisse, spe bona impulsa.

CH. Numquid propter illa Herculi missa dona?

DEI. Maxime sane; adeo ut nulli unquam auctor esse velim, ut rem cujus incertus sit eventus prompto aggrediatur animo.

CH. Doce, si fas est, quid id est quod times.

DEI. Qualem vobis enarrabo, mulieres, accidit res dictu mirabilis, quam nemo unquam sperasset. Quod enim ad unguendam tunicam modo adhibui, niveum ovis lanigeræ vellus, id in tenues auras abiit, non consumptum a domesticorum ullo, sed sponte sua absumptum contabuit, et in pulverem redactum dilapsum est e saxo cui fuerat impositum. Ut vero scias omnia sicut acta sunt, rem longius repetam. Ego enim, quos olim me docuerat ferus ille Centaurus, quum trajectus acri sagitta latus dolore conficeretur, omisi rituum eorum nullum, sed servavi, tanquam ærea in

tabella indelebile scriptum. Et hæc erant præmonstrata, sicque etiam feci, virus ut hoc procul ab igne, tepidisque solis radiis semper inaccessum, intimis servarem in penetralibus, donec recens adunctum aliquo applicandum esset. Et hæc rite observavi: nunc autem, quum usus venisset, intus in conclavi clam unxi tunicam, lana utens e cæsæ pecudis vellere, illamque complicatam in cista condidi solis intactam radiis, donoque, ut vidistis, mihi Herculi. Postquam autem intro redii, video rem infandam, quamque nemo mente concipere possit. Forte enim avulsam e pecude lanam, qua tunicam perunxeram, projeceram medium in teporem solis radiorum, quæ simulac concaluit, diffluit tota nescio quo modo, et comminuta dilabitur humi, proxime ad eam formam, qua ligni scobem videas, quod serra secatur. Sicque jacuit humi decidua; at e solo, ubi projecta erat, effervent bullosæ spumæ, haud secus ac si maturæ uvæ pinguis liquor in terram effundatur, e sacra Baccho vite. Quapropter nescio misera quid potius cogitem: cerno enim me facinus immane perpetrasse. Unde enim, quæso, quave gratia moriens ille semifer mihi præstaret benevolentiam, quæ nescis illi causa eram? Non ita est: sed eum a quo sagitta trajectus fuerat perdere cupiens, me delenivit; quod ego serius, quum nihil amplius prodest, animum adverto. Sola enim ipsum, nisi me fallit sententia, ego infelix penitus perditura sum. Quippe novi, ut illius arcu emissa sagitta Chironem licet immortalem intolerando affecerit dolore, utque pereant animantia omnia, quæcunque illæ attingunt. Qui ergo atri tabi virus, quod e feri vulnere fluxit, hunc etiam non interimet? sic profecto futurum est, si quid recte video. Itaque fixum animo sedet, ille si perierit, ut nihil morata commoriar simul. Vivere enim cum infamia non ferendum est mulieri, quæ bona indole nata vult videri.

CH. Necesse quidem est atrocia facta formidare; sed ante exitum spes abjicienda non est.

DEI. Non inest malis in consiliis spes vel minima, quæ fiduciam aliquam præstet.

CH. Sed in eos, qui non sponte peccarunt, ira remissior est, qualem tu experiri digna es.

DEI. Ita loqui solet, non qui mali particeps est, sed quem nulla premit sceleris conscientia.

CH. Satius tibi fuerit hunc sermonem abrumpere, nisi quid hac de re filio tuo dicere velis; eccum enim adest, quæsitum patrem qui nuper abiit.

HYLL. O mater, ut ex tribus his unum mihi contigisse vellem, vel te non amplius in vivis esse, vel superstitem alius matrem vocari, vel meliori mente eam, quæ nunc adest tibi, cuicuimodi commutasse!

DEI. Quid commisi, ô nate, tanto dignum odio?

HYLL. Conjugem tuum, ipsum adeo, inquam patrem meum, scito te hac die peremisse.

DEI. Hei mihi! nate, cujusnam rei affers nuntium?

HYLL. Quæ fieri nequit ut non evenerit. Quod enim factum est, quisnam queat infectum reddere?

DEI. Quid narras, ô fili? Quonam ex homine rescivisti detestandum adeo facinus a me patratum fuisse?

HYLL. Ipse his oculis vidi gravem patris calamitatem; non alius ex ore audivi.

DEI. Ubi vero, dic, convenisti virum, eoramque adfuisti?

HYLL. Si quidem te scire oportet, rem tibi omnem explicabo. Quum proficisceretur inclytam Euryti populatus urbem, victoriæ agens tropæa, Diisque offerendas primitias, est in Eubœæ littore fluctibus utrinque pulsatum promontorium, Cenæum nomine, ubi Tutelari Jovi aras statuit, frondentemque dedicat lucum; illic desideratum eum longo post tempore primum vidi. Ecce autem multarum victimarum sanguine aras sparsuro advenit illi domo famulus Lichas præco, tuum afferens donum, lethalem tunicam, quam ubi induit, ut in mandatis dederas, mactat quidem tauros eximios duodecim præstanti corpore, primitias prædæ; sed cunctas simul victimas omnigenûm pecudum aris admovit centum. Et primo quidem miser hilari animo, ornatuque gaudens et amictu, fundebat preces: ubi vero cruentis ex hostiis pinguibusque lignis sublata emicuit flamma, sudor prorupit e cute; et lateribus membrisque omnibus, tanquam si a fabro glutine adstricta fuisset, adhæsit tunica; ossaque penetravit dolor, convellens artus. Tandem ubi cruentum infestæ excetræ virus depascitur medullas, tum inclamat infelicem Lichan, criminis haud participem tui, quæritque quinam dolis hanc attulisset vestem: at ille nullius infelix sibi conscius fraudis, tuum solius donum esse dixit, ut a te missum fuerat. Quod ubi audivit, acri cruciatus dolore intima lacerante viscera, prehensum pede Lichan, qua flectitur cruris junctura, allidit ad prominentem in mari scopulum, fractoque capite mixtum sanguine et capillis cerebrum dispergit. Universus autem exclamavit cum fletu populus, et morbo laborantem herum deplorans, et morte multatum famulum; nec quisquam audebat ad virum accedere. Namque convulsus dolore modo volvebatur humi, modo sursus erigebatur, clamans, ejulans: circum vero remugiebant scopuli, Locrensium juga rupium, et Eubœæ promontoria. Postquam vero miser corpus humi crebro stravit, multoque clamore ejulatus edidit, omni convicio tuas miseræ nuptias detestatus, Œneique affinitatem, qualem nactus esset pestem vitæ suæ, ubi fractus viribus resedit, tum distortum oculum morbi mersum caligine attollens, videt me turba in multa lacrymis ora rigantem, et me conspectum vocat. *O nate, accede, ne fugias meum malum, ne quidem si te mecum mori oporteat: sed sublatum me hinc aufer, et, si potes, illic me depone, ubi me nemo videat mortalium: at si te miseret mei, saltem ex hac insula transfer me quam celerrime, neu me hic mori sine.* Quum hæc dedisset mandata, rate in media impositum illum ad hanc oram vix appulimus, rugientem dolore: et ipsum actutum, vel vivum conspicietis, vel modo mortuum. Talia in patrem meum deprehenderis, mater, et meditata fuisse et perpetrasse, quorum a te Justitia pœnas reposcat, Erynnisque: sicque, si fas est, imprecor: at fas est, quandoquidem mihi fas omne tu prius abjecisti, omnium optimum,

quem terra sustinet, virum perimendo, qualemcunque aliam non videbis unquam.

CH. Quid tacite discedis? non animadvertis te tacendo consentire accusatori?

HYLL. Sinite eam abire: procul abeunti illi a conspectu meo ventus contingat secundus. Quorsum enim decoro matris nomine frustra glorietur, quæ nihil, ut matrem decet, agit? Quin abeat læta; voluptatemque, quam meo dedit patri, eamdem ipsa capiat.

CH. En, ô puellæ, ut cito sortita est eventum vox fatidica veteris providentiæ, quæ cecinit, quando exacta mensibus præteriisset duodecima messis, tum requiem a laboribus concessum iri germano Jovis filio: et hæc rata ad certum exitum deducit. Qui enim lumine cassus post obitam mortem ærumnoso servitio defatigetur adhuc? Quippe si dolosus furor eum inunxit mortifera Centauri nebula, lateri affixo veneno, quod peperit mors, peperit autem varius draco, qui ille solem alium, quam præsentem videat, quum ejus præcordiis illapsum sit crudelissimæ excetræ virus, simulque illum fodicent dolosi Nessi lethales stimuli ferventes. Quorum illa quidem quum ad opem confugeret, formidolosam magnamque cernens impendere thalamis suis cladem, novas o ingruentes nuptias, demens non animadvertit, ab infenso animo profecta hæc consilia, ut specie conciliandi amoris maritum perderet. Nimirum infausta nunc gemit; utique rorem inexhaustum fundit lacrymarum. Ad exitum vero properantia fata magnam minantur dolis ex hisce cladem. Erupit lacrymarum fons: diffunditur morbus, ô Dii! quale nunquam ab hostibus ferentem malum Herculem miserari contigit. O funesta arma, quæ celeri impetu captam modo sponsam huc adduxistis celsa ab Œchalia. Ipsa vero, quæ adjuvit Venus tacita, manifeste horum omnium causa est.

SEMICH. Fallorne, an audio lamenta modo intus coorta? Quid dicam?

SEMICH. Edit aliquis non obscurum, sed infaustum ploratum intus. Novum quid accidit domi.

SEMICH. Age vero, hanc attende, quam insolito vultu, et obducta fronte tendit ad nos anus nuntiatura aliquid.

NUT. O puellæ, quam non parvorum malorum nobis causa fuit donum Herculi missum!

CH. Quid novi, quæso, dicis, anus?

NUT. Abiit Deianira ultimam viarum omnium, idque immotis pedibus.

CH. Scilicet, opinor, non ut moritura?

NUT. Cuncta audiisti.

CH. Mortuane est misera?

NUT. Iterum audis.

CH. Misera perdita! quonam modo occidisse illam ais?

NUT. Tristissimo, uti res ipsa indicat.

CH. Dic, mulier, quonam correpta fuit fato?

NUT. Sibimetipsa letum conscivit.

CH. Quis furor, qui morbus illam invasit?

NUT. Exitialis ferri sustulit eam mucro.

CH. Quî id moliri potuit, neci necem addens sola?

NUT. Luctuosi vulnere ferri.

CH. Tune vidisti, ô misera, indecorum hoc facinus?

NUT. Vidi, ut quæ prope adstiterim.

CH. Quid erat? quomodo? age cedo.

NUT. Id omne ipsa sua perpetravit manu.

CH. Quid ais?

NUT. Certa.

CH. Peperit, peperit magnam, hæc quæ nuper advenit sponsa, domibus hisce Erinnyn.

NUT. Nimis admodum. Quin si prope adstans vidisses quæ fecit omnia, multo magis miserata fuisses.

CH. Hæc vero patrare sustinuit feminea manus?

NUT. Atroci quidem animo: ipsaque mihi testis eris, ubi rem audiveris. Postquam sola introgressa est domum, et filium in aula vidit lecticam stragulis insternentem, ut obviam iret patri, abdidit se in interiori domo conspiciendam nemini; ibique aris advoluta, horribili sono ejulans conquesta est viduam se fieri; flebat et si quod instrumentorum attingeret, quibus antehac misera uti consueverat: huc vero et illuc per ædes oberrans, sicubi se obviam illi ferebat e famulis quispiam, lugebat infelix illum intuens, ipsa suum ipsius fatum inclamans, dolensque sibi spem sublatam augendi Herculem prole. Ubi vero horum desiit, subito eam video in Herculeum thalamum irruentem; et ego clam oculum tenebris abdita vigilem intendebam: mulierem autem cerno Herculis lecto stragulas injicientem vestes: quod ubi confecit, insiliens supra consedit medio in cubili, et lacrymarum erumpens calida fluenta, infit: *O thori, thalamique mei, in posterum jam valete: quippe qui non amplius excepturi me estis hisce in stratis cubantem.* Tantum effata, celeri manu peplum solvit, qua mamillas stringebat aurea fibula, denudavitque latus totum, humerumque sinistrum: et ego cursu erumpens quam potui citato, hæc molienti nato rem nuntiatum eo: dumque huc et illuc ferimur, interea videmus eam ancipiti gladio in latere sub jecore et præcordiis vulneratum. Conspicatus autem filius ejulavit: intellexit enim miser illam facinus hoc læsi amoris stimulis incitatam patrasse, sero edoctus quæ domi gesta fuissent, utque imprudens, semiferoque nimis credula, ista molita fuerit. Tum vero infelix natus in lamenta fletusque omnes solutus illam deplorare haud desistebat atque exosculari. Quin lateri latus applicans ita adjacebat, multa ingemiscens quod eam in crimen falso vocasset, dolensque se orbum victurum præreptis simul patre matreque. Ita hic res se habent. Proinde si quis duos vel etiam plures dies computat sibi, stolidus est: non enim capienda est crastinæ diei usura, antequam præsens bene acta sit dies.

CH. Utra prius gemam? utra atrocius peracta sint, heu misera! dijudicare nequeo. Hæc quidem habemus oculis usurpanda domi, illa vero exspectamus solicitæ: idem autem est et habere et

sperare malum. Utinam nostris adspirans domibus flatu secundo ventus ex his me locis abripiat, ut ne præ metu moriar statim, Jovis fortem natum solum intuita! siquidem aiunt domum eum venire immedicabili correptum dolore, horrendum visu. At vero propinqui mali metu, nec longe dissiti, jamdudum ploro, canora velut luscina: eccos enim ingrediuntur hospites peregrina specie. Miror, quo eum portant modo: tanquam amico metuentes, lentum absque strepitu movent gradum. Hei, hei! ille mutus bajulatur. Utrum par est opinari, mortuum illum esse, an dormire?

HYLL. Hei mihi, pater! heu me miserum causa tua, pater! quid agam? quid capiam consilii? hei mihi!

SEN. Tace, fili, ne excites sævum dolorem patris efferi. Vivit enim leto proximus. Sed inhibe os, morsu comprimens labia.

HYLL. Quid ais, senex? num vivit?

SEN. Cave, ne suscites somno sepultum, neque commoveas et renoves furiosum immanem morbum, ô fili.

HYLL. Sed mihi misero ad mali pondus intolerandum exarsit animus.

HERC. O Jupiter, quo terrarum veni? quos apud mortales jaceo confectus insanabilibus doloribus? heu me miserum! en rursus exedit me sceleratus morbus. Heu!

SEN. Norasne, quanto satius esset silere, nec hujus a capite oculisque dissipare somnum?

HYLL. At me continere nequeo, tantum intuens malum.

HERC. O Cenæo in jugo sacratæ aræ, qualem mihi pro qualibus hostiis gratiam rependitis misero! ô Jupiter, quali me, quali affecisti probro! quod utinam ego miser nunquam conspexissem oculis, nec persensissem unquam hanc implacabilem furoris violentiam! quis enim cantu medicave manu pollet adeo, qui hoc malum, præter Jovem, mitigabit? miraculum hoc quamvis procul lubens viderem. Ah! ah! sinite, sinite me infaustum requiescere. Ubi me attingis? quo reclinas? enecas me, enecas: quod sopiebatur excitasti malum. Lædit me tua contrectatio; ecce iterum subit dolor. Ubinam estis, ô Achivorum omnium injustissimi viri, quorum ego in gratiam, dum mari perque saltus omnes monstra et scelera purgo, multoties animam periculis objeci; et nunc doloribus confecto nemo vestrûm ignem aut salutarem gladium admovebit? ah! ah! neque demetendo caput invisa me vita properabit solvere? heu! heu!

SEN. O fili hujus viri, ministerium hoc vires meas superat: tu vero adjuva: juvenili enim oculo acutius cernes, quam ego, qui eum juvare possis.

HYLL. En manus admoveo: sed quo sedem dolores, vitæque eum restituam, nec ipse remedium excogitare possum, nec unde petam scio. Id solus habet Jupiter.

HERC. O nate, nate, ubi es, quæso? hac me, hac prehensum leva. Hei! hei! ô fortuna infensa! ingruit rursus, ingruit infelix, qui me perdit, inaccessus, immitis morbus. O Pallas, excruciat me rursus. O nate, patrem miseratus, stringe ensem, et,

quod tibi nemo crimini vertet, jugulum meum feri. Medere dolori, quo me efferavit tua mater impia, quam Dii faxint ut videam eodem collapsam morbo, quo me perdidit. O Jovis germane frater, ô dulcis Pluto, sopi me, sopi celeri leto, infelicem perimens.

CH. Horreo, amicæ, graves hasce Regis ærumnas audiens, quantis tantus vir affligitur.

HERC. O qui multa profecto cœptu audacia, et dictu gravia manibusque et humeris exanclavi: at mihi tale numquam nec Jovis conjux objecit malum, neque odiosus Eurystheus, qualem hunc dolosa Œnei filia induit humeris meis Furiarum manu contextum amictum, quo funditus pereo. Lateribus enim inhærens, extremas quidem vorsavit carnes, pulmonisque penetrans meatus exsorbet spiritum; sanguinem jam decolorem meum exhausit, et contabuit corpus omne, non explicabili hoc irretitum laqueo. Et hæc non in campo instructa acies, nec terrigena Gigantum exercitus, nec vis semifera, nec Græca gens, nec barbara, nec quantam ego terram repurgans penetravi, perpetravit; sed mulier, femineo, non virili animo, sola me peremit scilicet absque gladio. O nate, verum te meum filium exhibe, nec maternum nomen pluris existima: da mihi, tuis ipsius manibus abstractam domo, matrem tuam in manum, ut liquido sciam, utrum meam vicem doleas magis, an illius, ubi eam videbis male mulcato corpore meritas luentem pœnas. Age nate, aude: miserere mei, qui nemini non miserabilis sum; quippe qui puellæ more ploratus edo: et hoc me facientem nemo unquam dixerit se vidisse antehac. Sed absque gemitu usque pertuli mala. At nunc tali lacessitus malo effeminatus deprehendor miser. Age vero accede, propiusque patrem intuens, considera qualis calamitas his me affligit malis: monstrabo enim retectum id omne. En, spectate omnes lacerum hoc corpus, intuemini miserum, quam miserabili sim in statu. Ah! ah! infelix ego, heu! heu! en rursus adducit artus ignea vis morbi; penetrat latera, neque inexercitatum sinitura videtur dira vorax lues. O rex Pluto, suscipe me: ô Jovis fulmen, feri. Incute, ô rex, intorque, pater, coruscum telum mihi. Exedit enim rursus, effervescit, omni grassatur impetu. O manus, manus! ô terga, et pectora, ô lacerti mei! illine vos tandem estis, qui olim Nemeæ incolam, bubulcorum perniciem, leonem, immanem formidabilemque belluam vi interfecistis, et Lernæam Hydram, bimembresque quadrupedes Centauros, gentem inaccessam, protervam, legum expertem, superbam viribus, Erymanthiamque belluam; quique in inferis domuistis tricipitem Orci canem, invictum monstrum, terribili satum Echidna, draconemque aureorum custodem malorum extremis in orbis finibus? aliosque insuper labores innumeros subii, nec quisquam unquam de meis tropæa statuit manibus. At nunc sic fractis artubus, lacerisque carnibus, a cæca peste excrucior miser, ille ego qui matris optimæ partu, Jovisque sidera torquentis satu in lucem editus feror. Verum hoc certo sciatis: etiamsi nullus sum, etiamsi incedere nequeo, tamen quæ his me implicavit malis, eam ulciscar, istis etiam quæ supersunt viribus. Accedat modo, ut experta nuntiare pos-

sit omnibus, me et viventem et morientem scelestos meritis affecisse suppliciis.

CH. O miseram Græciam! qualem illi impendere luctum video, hoc viro si privabitur!

HYLL. Quoniam permittis vicissim ut loquar, pater, attende tacitus, morbo licet premaris: nihil enim postulabo, nisi quod consequi me par est. Da te mihi, at non talem, qualis impotenti ira exæstuans morderis animum; sic enim dignoscere nequeas, quid gaudii percipere gestis temere, quamque frustra irasceris.

HERC. Dic, si quid vis, brevibus. Ego enim morbo affectus nihil istorum intelligo, quæ tu dudum perplexe loqueris.

HYLL. De matre dicere volo, teque docere ut nunc res illius sunt, utque peccavit imprudens nolensque.

HERC. O sceleste! itane audes apud me mentionem facere matris, quæ patrem tuum peremit? hæccine me audire cogi?

HYLL. Ita enim se res habet, ut silentio tegi non deceat.

HERC. Haud sane silendum est, quod prius admisit scelus.

HYLL. At ne quidem illa dices quæ fecit hodie.

HERC. Dic ergo: sed cave ne te degenerem esse cognoscam.

HYLL. Dico. Mortua est mater, modo occisa.

HERC. A quo? incredibile portentum est: falsa vaticinaris.

HYLL. Sua ipsius manu; ab alio nemine.

HERC. Hei mihi! antequam, ut oportebat, mea periit manu?

HYLL. Tu quoque remitteres iram, si rem omnem cognosceres.

HERC. Mirum quid narrare occipis: dic ergo quî id intelligas.

HYLL. Toto negotio erravit, bona quum affectaret.

HERC. Bonane, sceleste, facit, quæ patrem occidit tuum?

HYLL. Amorem tuum veneficio conciliare sibi cogitans, postquam novam domi conspexit nuptam, aberravit a proposito.

HERC. Et quis inter Trachinios tantus est veneficus?

HYLL. Centaurus Nessus persuasit ei olim, ut tali delenimento te sui incenderet amore.

HERC. Heu! heu! infelix, perii miser! occidi, occidi; lux est mihi nulla amplius. Hei mihi! demum intelligo quo redactus sum miseriæ. Abi nate; pater enim tibi non vivit amplius; voca omnem mihi fratrum tuorum stirpem; voca et miseram Alcmenam, Jovis frustra dictam conjugem, ut percipiatis oraculi sortem de interitu meo, quantum ego commemini.

HYLL. At neque mater hîc adest: sed ad litoralem Tiryntha se contulit, ubi fixit sedem: et liberos partim ipsa secum abductos educat; partim urbe Thebana habitantes scias. Nos vero qui adsumus, si quid facto opus est, pater, quæ dederis mandata exsequemur.

HERC. Tu rem proinde audi; eo enim delatus es, ubi ostendere debeas, num dignus sis, qui filius meus appellere. Mihi enim erat prædictum a patre olim, a nemine viventium me esse periturum, sed a quopiam qui vita functus Orci esset incola. Hic

igitur ferus Centaurus, juxta fatidicam dictionem, viventem me peremit mortuus. Alia autem tibi dicam exitum pariter sortientia nova oracula, veteribus concinentia, quæ, monticolarum et humi cubantium Sellorum ingressus lucum, tabellis consignavi a paterna loquaci quercu edita; quæ mihi significavit præsenti hoc ipso tempore impositorum mihi laborum finem fore: sperabamque exinde me placide et prospere victurum: atqui nihil aliud hoc erat, nisi me moriturum. Quippe omni labore mortui perfuncti sunt. Horum igitur quoniam manifestus eventus est, oportet te, nate, mihi morigeram præstare operam, neque exspectare dum te acrius instigem, sed sponte cedentem opitulari, pulcherrimæ obsequentem legi, patri ut natus pareat.

HYLL. At, ô pater, metu consternor, tam insperato audito sermone; tamen, quidquid jusseris, exsequar.

HERC. Da mihi primum dextræ fidem.

HYLL. Quorsum hoc pignus tam anxie requiris?

HERC. Non junges dextram ocius, nec morem geres mihi?

HYLL. En porrigo: nihil tibi contradicam.

HERC. Jura Jovis nunc, qui me genuit, caput.

HYLL. Quid me facturum vis jurem? et hoc jurabo.

HERC. Quam jussero operam te mihi præstiturum.

HYLL. Equidem juro, testem adhibens Jovem.

HERC. Quod si falles, pœnas imprecare tibi.

HYLL. Nulla causa est: faciam enim quod jusseris. Imprecor tamen.

HERC. Nostin' igitur sacrum illud Jovi Œteum cacumen?

HYLL. Novi, ut qui summo in jugo sæpe fecerim.

HERC. Illuc ergo te oportet corpus meum tuis ipsius, et amicorum, quos voles, manibus sublatum asportare, excisisque multis roboribus unaque multis oleastris, ingentem struere pyram, cui corpus meum impones, sumptaque ardenti picea tæda, ignem subjicies. Lacrymis autem et gemitu tempera: sed obfirmato animo, si quidem es a me prognatus, hoc perage, nec ingemiscens, nec illacrymans. Sin minus, tibi ego, licet ad inferos demissus, omnibus locis adero, dirisque devotum usque persequar.

HYLL. Hei mihi, pater! quid locutus es? quo me redigis?

HERC. Ad id quod faciendum est. Sin minus, patris alîus esto nescio cujus, neque meus voceris amplius.

HYLL. Hei mihi iterum! ad quod me facinus excitas, pater, ut parricida fiam, et occisor tuus?

HERC. Nequaquam istud; sed ut quibus conficior malis medearis, tibique soli debeam salutem.

HYLL. Quî vero, si te comburam, corpus sanabo tuum?

HERC. Sed hoc si abhorres, cetera saltem perage.

HYLL. Sane gestandi non renuam officium.

HERC. An et rogi, quem dixi, struem conficies?

HYLL. Modo ne ipse manibus meis subjiciam ignem. Cetera vero faciam, nec opera mea deerit tibi.

HERC. Sed et hæc sat erunt. Porro majoribus his merit exiguum aliud adjunge beneficium.

HYLL. Sit licet maximum, præstabitur etiam.

HERC. Nosti nimirum Euryto satam puellam?

HYLL. Iolen, ut opinor, dicis.

HERC. Tenes. Hoc ergo tibi, nate, ultimum do mandatu Hanc, postquam defunctus fuero, siquidem pie vis agere, obst ctam patri jurejurando servans fidem, uxorem adjunge tibi, n refrageris patri: neque vir quisquam alius illam, quæ late accubuit meo, tori, præter te, accipiat sociam: at tu ipse, nate, connubio tibi eam junge. Obtempera: nam rebus in m gnis obsecutus mihi, si nunc in parvis morem gerere nolis, pri interibit gratia.

HYLL. Hei mihi! morbo quidem laboranti succensere n decet; sed ita animatum videre quis ferat?

HERC. Loqueris, ut nihil eorum, quæ mando, facturus,

HYLL. Quis enim eam, quæ meæ matri sola mortis exsti causa, tibique hujus, qua absumeris, pestis, quis eam, obsec nisi furiis agitatus sit, uxorem accipiat? satius est, pater, tecum commori, quam una in domo cum inimicissimis vere.

HERC. Homo hic quam videtur morienti mihi non exhibi rus debitam officii vicem! Atqui manebit te Deorum exsecrat dietis si non parueris meis.

HYLL. Hei mihi! cito, ut videtur, morbo te corripi dices.

HERC. Tu enim sopitum excitas denuo malum.

HYLL. O miser ego! quam incertus mihi fluctuat a mus!

HERC. Haud enim dignaris parenti auscultare.

HYLL. At, pater, obsecro, ediscamne impie agere?

HERC. Nulla est impietas, animo meo si gratum facias.

HYLL. Justane sunt ergo, quæ me facere jubes?

HERC. Maxime: ad hæc testes voco Deos.

HYLL. Faciam igitur, neque reluctabor amplius, Deos test tus te hujus facti auctorem mihi esse: nunquam enim malus deri possim, si tibi paream, pater.

HERC. Tandem pia hæc sunt in quæ desinis: his vero adc ô nate, celeritatem gratiæ, ut priusquam recrudescat dol mentemque furor agitet, rogo me imponas. Age festinate, tollite me: hæc est tanquam malorum requies, ultimus vitæ m exitus.

HYLL. At nulla mora est quin hæc perficiantur tibi, quand quidem jubes, nosque eo adigis, pater.

HERC. Age ergo, ô dura anima, priusquam te rursus emove fera lues, frena tibi indue ferrea, compesce clamorem, ut qu licet invita, rei prorsus lætæ accingaris.

HYLL. Tollite, comites, horum factorum omni me absolvent crimine, culpamque in Jovis iniquitatem conferentes, qui tant ærumnas contueri sustinet ejus, quem ipse genuit, quique ipsun patris compellavit nomine. Futura nemo prospicit; at præsenti

nobis quidem tristia sunt, Diis vero probrosa; at præ omnibus acerbissima viro illi, qui hæc mala sustinet.

CH. Ne vos quidem, puellæ, hîc subsistite, sed sequimini. Magna vidsitis exiguo spatio funera, insperatasque multas calamitates; at nihil horum accidit absque Jovis numine.

DRAMATIS PERSONÆ.

MINERVA.

ULYSSES.

AJAX.

CHORUS SALAMINIORUM SOCIORUM.

TECMESSA.

NUNTIUS.

TEUCER.

MENELAUS.

AGAMEMNON.

SOPHOCLIS

AJAX LORARIUS.

MIN. SEMPER te quidem, ô fili Laërtis, satagere video, ut molimen aliquod hostium præripias: at nunc ad Ajacis nautica castra, ubi stationem extremam tenet, jampridem te conspicor venantem et metientem recentia illius vestigia, ut dispicias intusne sit, an foras. Opportune vero te educit tanquam Lacænæ canis sagax vestigatio: intus vero jam vir hic est, caput stillans sudore et manus ensicidas: adeoque nihil te per hanc portam amplius introspicere opus est: ede modo qua gratia laborem hunc susceperis, ut a sciente quidquid hujus est discas.

ULYS. O vox Minervæ, Dearum mihi carissimæ, quam facilem agnitu, etsi conspectum refugias, loquelam tamen tuam auribus percipio, et corripio mente, ut æreæ clangorem Tyrrhenicæ tubæ! Et nunc probe sensti ob inimicum virum me circumire: Ajacem dico scutiferum. Quippe ipsum, nec quemquam alium, vestigo dudum. Hac enim nocte fœdum nobis facinus patravit, si modo facti ille auctor est. Namque nihil scimus liquido, sed vagamur incerti: quare ego sponte explorandi suscepi laborem. Pecus enim omne prædando collectum modo invenimus absumptum et contrucidatum, una cum ipsis gregis custodibus. Atqui in illum culpam omnes conferunt: retulitque mihi et indicavit unus e speculatoribus se illum vidisse per campum magnis ambulantem passibus solum, cum gladio recenti cæde tincto. Persequor illico legens vestigia, et quædam signis indubiis noto, quibusdam vero perturbor, nec cuja sint colligere queo. Itaque tempori ades: nam ut omnia priora, ita et futura te duce geram.

MIN. Novi hæc, Ulysse, et jampridem in viam prodii custos tui, tuoque favens venatui.

ULYS. An vero, cara domina, opportune cœptus est mihi hic labor?

MIN. Quippini? quum sint illius hominis ista facinora.

ULYS. Quanam vero gratia insanum ad modum sic grassatus est?

MIN. Ira percitus ob Achillis arma sibi adempta.

ULYS. Cur igitur in pecora fecit impetum?

MIN. Ratus se vestra manum cæde tingere.

ULYS. Moliebaturne ergo hanc Argivis stragem?

MIN. Quin perfecisset, si neglexissem ego.

ULYS. Qua audacia, vel qua fretus fiducia?

MIN. Noctu in vos furtim egressus est solus.

ULYS. An et propius accessit, finemque contigit viæ?

MIN. Utique geminorum ducum tentoriis jam institerat.

ULYS. Quî vero inhibuit manum avidam cædis?

MIN. Repressi eum ego ab immedicabili gaudio, objectis ob oculos falsis imaginibus, et ad greges promiscuos averti præ[illegible]da abactorum pecorum, nondum partitos, publicis custoditos a pas[illegible]to-ribus, quo ille facto impetu cornigerûm boum late edidit strage[illegible]m, passim obtruncans, modo geminos se putans manu sua occid[illegible]ere Atridas, modo alium, alio irruens, ducem. Ego vero grassant[illegible]em furialibus morbis hominem instigans, in casses impuli malas. T[illegible]an-dem ubi hac a cæde conquievit, superstites colligavit vinc[illegible]lis boves, ceterasque pecudes, abduxitque omnes domum, ratus v[illegible]ris se, non autem cornigero potiri pecu: et nunc domi vinctos flagris cædit. Ostendam vero et tibi manifestum hunc morbum, ut, ubi videris, omnibus Argivis enarres. Fidenter hic consiste, nec deputa in malo conspectum hominis; illius enim aversam in par[illegible]tem torquebo lumina, ne vultum tuum intueatur. Heus tu, qu[illegible] captivas manus vinculis coërces, te accedere jubeo: Ajacem ap-pello, progredere huc foras.

ULYS. Quid agis, Minerva? Nequaquam eum foras evoces.

MIN. Non tacebis? ne formida.

ULYS. Ne, per Deos obtestor. Maneat intus potius.

MIN. Quidni progrediatur? nonne et antea hic vir erat—

ULYS. Infensus quidem mihi, et nunc etiam amplius.

MIN. Nonne irridere inimicum risus est dulcissimus?

ULYS. Mihi quidem satis est illum intus manere.

MIN. Furentem manifeste hominem adspicere vereris?

ULYS. Sanum quidem illum intueri non refugerem.

MIN. At nunc te, ne prope adstantem quidem, videbit.

ULYS. Quîdum, si modo iisdem cernit oculis?

MIN. Oculis etiam videntibus caliginem obfundam.

ULYS. Fiant quidem omnia, Deo machinante.

MIN. Tacitus nunc adsta, et mane quo es in loco.

ULYS. Manebo: mallem tamen procul abesse.

MIN. Heus tu, Ajax, iterum te huc voco. Cur tam parv[illegible]i facis auxiliatricem tuam?

AJ. O salve Minerva, salve Jove genita proles! Quam op-portune ades! Quippe aureis mactabo te spoliis, hujus præd[illegible]e gratia.

MIN. Pulchre dixti: sed hoc mihi narra; tinxistin' ensem probe in Argivorum exercitu?

AJ. Gloriari fas mihi est, nec factum negem.

MIN. An etiam Atridis armatam intulisti manum?

AJ. Ita ut Ajacem non amplius illi afficient contumelia.

MIN. Perierunt, ut verba tua intelligo.

AJ. Mortui jam mea eripiant arma.

MIN. Esto. quid vero Laërti filius? quænam ei sors obtigit? num effugit te?

AJ. Vulpem illam sceleratam rogas, ubi sit?

MIN. Equidem: Ulyssem dico, tuum adversarium.

AJ. Intus sedet vinctus, jucundissimum mihi spectaculum. Quippe mori eum nondum volo.

MIN. Priusquam quid egeris, aut quid ultra lucri feceris?

AJ. Priusquam alligatus ad columnam vestibuli—

MIN. Quidnam, quæso, misello infliges mali?

AJ. Flagris primum terga cruentatus mortem oppetat.

MIN. Ne, amabo, miserum sic flagris cædas.

AJ. Multum te alia ob omnia gaudere jubeo, Minerva: hanc vero ille, non uliam pœnam dabit.

MIN. Tu igitur, quandoquidem sic facere tibi volupe est, utere manu, omitte nihil eorum quæ meditaris.

AJ. Pergo ad opus: ceterum hoc tibi mando, ut talis mihi semper adsis adjutrix.

MIN. Vides, Ulysse, vim Deorum, quanta sit. Quis tibi unquam hoc viro prudentior repertus est, vel melior quod factu opus est exsequi?

ULYS. Neminem equidem novi: miseret me vero ejus, infelicis utique, tametsi mihi infensus est, quia tam gravi conflictatur noxa, nihilo magis illius quam meam vicem respicientem. Nos enim, quicunque vivimus, nihil aliud esse comperio, quam simulacra et levem umbram.

MIN. Hæc igitur quum videas, cave ne quid unquam superbe in Deos dicas, nec fastu intumescas, si quo plus vel manu polles, vel opum affluentia. Quippe dies deprimitque et attollit denuo humana omnia: modestos vero Dii amant et detestantur malos.

CH. O nate Telamonis, qui tenes circumfluæ Salaminis sedem maritimæ, quando tibi res prospere cedit, gaudeo: sed si plaga Jovis aut maledicus rumor ab iniquis Danais te incessat, tum ingenti percellor metu, et trepido pavidæ instar columbæ. Ut nunc etiam magni tumultus nos invadunt ob sinistram famam, te scilicet præterita nocte pratum abundans florenti gramine ingressum, peremisse Græcorum pecudes, et quidquid reliquum erat prædæ abacti pecoris, corusco cædentem ferro. Tales clam rumores confingens, omnibus ad aurem insusurrat Ulysses, persuadetque admodum; quæ enim secus de te dicit, ea jam facile nanciscuntur fidem, et quicunque audit, ipso dicente gaudet magis, tuis insultans ærumnis. Namque convicia in magnos qui jaculatur viros, haud facile aberrat; in me autem si quis talia dicat, haud persuadeat. Quippe virtute et gloria claros petit invidia. Attamen humiles sine præstantibus arcem lubrico tuentur præsidio; potentum enim adjutus ope tenuis optime rem gerat; rursusque vir potens a tenuibus erigatur. Sed nequeunt stolidi tales sententias doceri. Ab hujusmodi hominibus tumultus nunc in te excitatur: nos vero sine te, ô Rex, contra haud quimus obniti. Namque e conspectu tuo ubi aufugerunt, perstrepunt, ut greges avium; sed si desubito prodires, illico magnum vulturem expavescentes, contraherentur metu, et silentio delitescerent muti. Utique te tauris vecta filia Jovis Diana, (ô nefanda fama, mater probri mei!) in-

citavit in publicos boum greges, fortassean ob victoriæ alicujus haud relatam gratiam, sive spoliorum inclytorum fraudata donis, sive parte venaticæ prædæ; vel æream Mars indutus loricam id tibi succensens, quod socii in bello laboris præmium haud tulerit, nocturnis machinis ultus est contumeliam. Non enim tua sponte, Telamoniade, eo stultitiæ deflexisti, ut sic in greges irrueres. Quidni ingruerit morbus divinitus? sed arceat Jupiter et Apollo malam Argivorum famam. Sin confictas furtim subdunt fabulas magni reges, aut quis e nequissimo Sisyphidarum genere, ne, obsecro te, ne, Rex, amplius ita in maritimis tentoriis delitescas malis flagrans rumoribus; at surge e sedibus, ubi nimis longum hæres defixus hac anxia mora, cœlitus immissam incendens noxam; interea vero inimicorum petulantia nullo cohibita metu temere grassatur ventosis in saltibus, dum omnes multo cum cachinno convicia in te effundunt acerbissima; ego vero dolore configor.

TECM. Navales Ajacis socii, indigenis Erechthidis sati, est ut gemamus, quicunque longinquam curamus Telamonis domum; namque formidabilis ille, ille ingens, præstansque robore Ajax turbida nunc jacet pressus tempestate.

CH. Quamnam pro hesterno statu nox hæc invexit gravis infortunii vicem? Dic, filia Phrygii Teleutantis. Quandoquidem captivam diligens te, lecti sociam colit Ajax, hujus rei gnara, docere nos possis.

TECM. Qui tandem memorem facinus infandum? morte enim haud minus grave malum audies. Quippe hac nocte furore actus inclytus Ajax noster pudendi flagitii turpem subiit notam; quemadmodum videas intra tentoria occisas pecudes cruentas, hujus lanienam viri.

CH. Qualem de fervidi animi viro affers mihi nuntium, rem intolerandam, nec tamen evitabilem, quam primores Danai differunt rumoribus, augentque porro vulgi sermones? Hei mihi! m[illegible] tuo impendens malum: palam est virum furiosa manu necem sibi consciturum, ut ense cruento contrucidavit pecudes, pecudumque custodes.

TECM. Hei mihi! inde igitur, inde nobis constrictas vinculis venit agens pecudes, quarum alias intus humi stratas jugulavit, alias divisit medias, costis dissectis; candidis autem duobus arreptis arietibus, hujus caput et extremam linguam præcidit, abjicitque procul; illum vero rectum sursum columnæ alligat grandi loro equestri, verberatque sonora duplici scutica, dictis incessens malis, quæ furor illum, haud sane natus homo ullus, edocuit.

CH. Jam tempus est ergo, ut quisque obvoluto capite clam pedibus fugam arripiat, aut pontivagam insiliat in navem, insideatque celeris remigationis transtro. Tales jactant in nos minas gemini duces Atridæ: metuo ne lapidibus impetitus misere mortem oppetam, luamque cum eo supplicia, quem fati vis inexpugnabilis urget.

TECM. Non urget amplius. Furor enim desiit, ut solet Noti celer impetus, qui sine corusco fulgure coortus est. At nunc

mentis suæ compos novo dolore angitur. Quippe contemplari propria mala, quorum participem habeas neminem, graves subdit dolores.

CH. At si conquievit, prospere omnino mecum agi putem. Minor enim submoti jam mali cura est.

TECM. Utrum vero, data tibi optione, eligas, contristansne amicos ut ipse lætus agas, an communibus afflicteris malis?

CH. Nimirum gravius est, ô mulier, geminum malum.

TECM. Itaque nos, etsi morbo caremus, premimur tamen infortunio.

CH. Quid hoc dicti est? non enim quid velis intelligo.

TECM. Vir ille, quamdiu fuit in morbo, ipse quidem lætabatur quibus tenebatur malis, et nos qui sani conversabamur, afficiebat tristitia; nunc autem ut recepit se ac respiravit a malo, et ipse mærore totus agitatur gravi, nosque una nihilo minus quam antea angimur. Nonne sunt hæc dupla bis tanto ex simplis mala?

CH. Equidem tibi assentior, et vereor ne divinitus plaga huic viro inflicta fuerit. Quidni enim? si quidem defunctus morbo nihilo magis lætatur, quam quum ægrotaret.

TECM. Hæc ita se habere, certo scias.

CH. Quibusnam initiis malum hocce ingruit? rem nobis significa condolentibus.

TECM. Omnia ut quæque acta sunt disces, quum ipse in partem venias infortunii. Is enim multa nocte, quum vespertinæ amplius non arderent lucernæ, ancipitem arripuit gladium, temereque egredi velle videbatur. Tum ego increpo his verbis: *Quam rem agis, Ajax? quodnam hoc moliris iter, nec vocatus, nec ab ullo arcessitus nuntio, nec tubæ excitus sono? quin et nunc universus dormit exercitus.* At ille brevi dicto me repressit semper decantato: MULIER, MULIERI DECUS EST SILENTIUM. Quo audito destiti; ille vero prorupit solus, nec quid interibi patraverit rescivi. Post vero rediit colligatos agens in tentoria simul tauros, canes pastoricios, cornigeramque prædam; et hos quidem capite truncavit, illos vero resupinatos jugulavit et dissecuit; alios autem vinculis constrictos flagris cecidit, in pecudes, tanquam in viros, sæviens. Tandem foras erupit, et cum umbra nescio qua confabulatus est truci voce, nunc de Atridis, nunc de Ulysse ridicula multa jactans, quantis illos ultus esset contumeliis. Deinde postquam in tentorium irrupit, ægre tandem et longo tempore ad sese redit, utque mentis errore perpetrata cæde plenam videt domum, caput pulsat, exclamat, recubatque prostratus in media strage occisi gregis, comam sibi scindens unguibus. Et sic quidem diu tacitus resedit; postea malum maximum minitatus est mihi, nisi rem ederem, ut accidisset, omnem; interrogavitque quemnam demum in casum incidisset. Atque ego perterrita rem, quantum quidem noram, ô amici, narravi omnem ordine. Tum ille statim lugubri ejulatu lamentatus est, cujusmodi nunquam ex eo audivi. Semper enim dicere solebat hominis ignavi esse et abjecti animi, tales

ciere fletus; sed, si quo premeretur dolore, vociferationi et lamentis parcens, subingemiscebat, tauri mugientis more. Nunc vero tristi obrutus hoc infortunio, cibo abstinens et potu, media inter pecora ferro concisa prolapsus residet immotus, et manifeste aliquid inceptat mali; tales nimirum voces et questus edit. At, ô amici, qua gratia huc prodii, ingredimini, opemque, si quam valetis, ferte. Solent enim viri, qualis hicce est, amicorum sermonibus flecti.

CH. Horrenda nobis narras, Tecmessa, filia Teleutantis, malis nempe virum illum in furorem concitatum.

AJ. Hei mihi!

TECM. Mox, ut videtur, increbrescet furor. Nonne audistis Ajacem, quali jam vociferatur clamore?

AJ. Hei mihi!

CH. Adhuc, ut opinor, cum morbo conflictatur hic vir, aut contristatur præteriti mali recordatione.

AJ. Heu fili, fili!

TECM. O me miseram! Eurysaces, te inclamat. Quid mente agitat? Ubinam es? ô miseram me!

AJ. Teucrum voco. Ubi est Teucer? An ille perpetuo prædas aget? Ego vero interim pereo.

CH. Vir sui compos jam videtur esse. Ergo aperite ostium: forte, si me adspiciat, tanget eum aliqua mei reverentia.

TECM. Ecce aperio; intueri tibi licet illius facinora, atque ut ipse se habet.

AJ. O cari navales socii, soli mei amici, solique fœdus integra servantes fide, adspicite quali cruentæ procellæ fluctu circumclatus sum.

CH. (*ad Tecmessam.*) Hei mihi! Quam videris vera testari nimis! Res ipsa indicat, quam insanus sit.

AJ. O populares auxiliatores mei, artis periti nauticæ, qui conscensa nave marinum agitastis remum, vos, vos inquam, solos video ex iis qui mei olim curam habuerunt, opitulari mihi paratos; age occidite me.

CH. Bona verba, quæso. Ne, malum malo resarciens, calamitatis damnum majus accumula.

AJ. Videtisne illum audacem, fortem illum, inque bellicis olim intrepidum præliis, nunc inter placidas feras manu strenuum? hei mihi! quantos risus præbebo! quantum in probrum incidi!

TECM. Ne, here Ajax, talia dicas, obsecro.

AJ. Non tu hinc abis? non foras effers pedem? Eheu, eheu!

CH. Per deos oro, obsequere, et ad sanum mentem redi.

AJ. O ego infelix, qui manibus tantum non correptos amisi sceleratos illos, inque camuras boves, clamososque balantum greges irruens, atrum sanguinem profudi!

CH. Quid vero te excrucias ob res confectas? non enim fieri potest, ut hæc aliter se habeant.

AJ. O ad omnia perspicax, omnisque semper instrumentum mali, fili Laërtis, impurissime veterator exercitus, mirum ni præ gaudio effuse rideas.

CH. Ut dat Deus, quisque ridet et plorat.

AJ. Viderem eum modo coram præsentem, quamvis ita af-ctus! hei mihi!

CH. Ne quid elate dixeris. An te fugit, quo es in malo?

AJ. O Jupiter, majorum meorum progenitor, utinam per-mpto loquacissimo illo inviso impostore, geminisque neci datis gibus, ipse demum mortem oppetam!

TECM. Quando ista imprecaris, simul et mihi mortem opta. uid enim me vivere oportet, te mortuo?

AJ. O caligo, mea lux, ô tenebræ Orci, meo quidem animo, cidissimæ, suscipite, suscipite me incolam, suscipite me. Ne-e enim Deorum, neque mortalium genus intueri dignus sum, utilium jam perinde mihi. Quippe me Jovis præpotens filia l necem usque excruciat. Quo igitur confugiam? quo ma-eam loco? siquidem occidit ultionis spes una cum his cæsis pe-dibus, stultæque me applicui venationi: fieri vero haud test, quin tela in me contorquens universus exercitus me in-rficiat.

TECM. Heu me miseram! Taliane virum consultum loqui, æ nunquam sustinuisset antehac?

AJ. O fluvii in mare labentes, antraque maritima, et litoralia scua, longo, longo tempore, diuque me detinuistis ad Trojam; enim non amplius vitales carpentem auras tenebitis: hoc qui-nque sapit scito. O Scamandri vicina fluenta, benevola Argi-s, haud amplius virum hunc videbitis, qualem, superbum quid cam, neminem Troja in exercitu vidit terra profectum Helle-ca: nunc vero inhonoratus adeo abjectus jaceo.

CH. Nec quî cohibeam, nec quî te talia dicere sinam reperio, m gravibus implicatum malis.

AJ. Ai, ai! Quis unquam putasset fore, ut tam concinne ma-s meis conveniret nomen meum? Nunc enim adest, cur bis clamem et ter AI AI: tantis nimirum versor in malis. Cujus ater ex hac ipsa Idæa terra, rebus eximie gestis summa nactus ræmia, domum rediit, maximam reportans gloriam. Ego ero illius filius, qui eandem ad Trojam veni haud minore bore; neque minoribus rebus manu gestis, inhonoratus rgivis ita pereo. Atqui hoc saltem pro certo scire videor. i vivus Achilles de suis ipse armis judicium tulisset, pal-arium virtutis addicturus alicui, nemo ea præ me adeptus isset. Nunc vero contra machinati sunt Atridæ, ut versipelli sceleratο homini traderentur, posthabitis præclaris meis factis. t nisi hi oculi atque transversus animus ab eo quod erat mihi ecretum aberrassent, haud amplius illi talem sententiam contra uemquam essent laturi. Sed enim terrifica et indomita Jovis lia dextram jam illis me intentantem in errorem induxit, im-isso furiali morbo, quo actus, pecudum harum cæde cruen-vi manus. Illi vero nunc me irrident, elapsi, me quidem vito. Sed si præpediat Deus aliquis, præstantiorem etiam ig-avus fugiat. Nunc igitur quid oportet me facere, qui mani-ste Diis invisus sum, quem odit Græcorum exercitus, cui in-

fensa est Troja universa, atque hi ipsi campi? Domumne repetens, deserta nautica hac sede, solisque Atridis, Ægeum trajiciam mare? At quo vultu patri me sistam coram Telamone? Quomodo sustinebit adspectum meum inglorii revertentis, virtutisque carentis præmiis, quorum ille insigne decus adeptus est? Non est hoc ferendum. Sed quid si in Troum munimenta facto impetu, solus cum solis congressus, viro dignum quoddam edam facinus, tandemque moriar? At sic Atridis rem bonam et gratam fecerim. Non placet hoc; nihil est. Tentanda est via ejusmodi, per quam seni ostendam patri, me haud ignavum ex illo satum. Turpe est enim viro longam expetere vitam, si cui malorum nulla contingit remissio. Quid enim ad diem dies juvare potest additus, liberatusque a morte in crastinum dilata? haud ego emerem vilissimo pretio hominem, qui inani spe fovetur: sed aut honeste vivere, aut honeste mori generosum decet. Hæc est mea sententia.

CH. Nemo unquam dicet, Ajax, aliena te et subditicia hæc locutum esse, sed mentis tuæ sensa: impetum tamen istum reprime, amicisque facilem te flecti præbe, curis his omissis.

TECM. O here Ajax, servitute non est aliud gravius hominibus malum. Patre equidem nata sum libero, opibusque, si quis alius, inter Phrygas pollente; nunc vero serva sum: sic enim Diis visum est scilicet, tuæque maxime dextræ. Proinde ex quo in tuum cubile conveni, tuis rebus studeo, teque per Jovem Familiarem obtestor, perque thorum tuum, quo conjunctus es mihi, ne me sinas tristem fabulam fieri, inimicorumque tuorum ludibrium, cujusvis alius arbitrio permissam. Si enim moriaris, tuaque morte me destituas, ne dubita, quin eodem ipso die correpta ab Argivis cum filio tuo duram in servitutem detrudar: et forsan insultans herus aliquis acerbo me dicto perstringet: *Conspicite Ajacis conjugem, quo nemo in omni exercitu viribus fuit præstantior, quibus nunc urgetur servitiis pro illa quam habuit prius invidenda sorte.* Talia dicet aliquis: et me quidem excruciabit fera necessitas; tibi vero, tuoque generi hæc dicta dedecori erunt. Sed reverere patrem tuum, quem tristi confectum deseris senio; reverere matrem multos jam annos sortitam, quæ multiplicibus votis Deos precatur, ut salvus domum redeas. Miserere etiam, ô rex, filii tui, qui puerili educatione destitutus, te orbatus, sub iniquis tutoribus ætatem aget. Quantum miseriarum illique et mihi, si morieris, relinques! Nam mihi quidem nihil est, quo respiciam, præter te. Quippe patriam tu mihi delevisti bello, matrem occidisti; Parca vero genitorem meum demisit ad Orci mortuales incolas. Quænam mihi, quæso, pro te patria fiat? quæ opes? in te mea omnis est salus. Ergo memoriam mei retine: utique virum decet memorem esse, sicunde grati quid perceperit: gratia enim gratiam semper parit. Cuicumque vero effluit beneficii memoria, is neutiquam generosi viri habeatur loco.

CH. Vellem te, Ajax, itidem ut ego, misericordia affici: laudares enim hujus dicta.

AJ. Atqui magnam laudem a me consequetur, si modo id quod jussero audebit exsequi.

TECM. At, ô care Ajax, in omni re tibi parebo.

AJ. Affer mihi ergo filium, ut eum videam.

TECM. At vero metu perculsa eum ablegavi.

AJ. Istiusne meæ calamitatis? aut quem alium metum ais?

TECM. Ne periret miser, sicubi forte tibi occurreret.

AJ. Nempe haud alienum hoc erat a furore meo.

TECM. Itaque præcavi, letum ab eo ut propulsarem.

AJ. Laudo factum, quamque adhibuisti providentiam.

TECM. Quid, amabo, dehinc agam, quo tibi prosim?

AJ. Fac ut eum alloquar, coramque videam.

TECM. Atqui prope a ministris custoditur.

AJ. Quænam igitur tenet eum mora, ne præsto adsit?

TECM. O nate, pater te vocat: huc famulorum adduc ipsum, quisquis manibus nunc eum regis.

AJ. Venitne jam vocatus, an vocem tuam non audiit?

TECM. Immo e propinquo famulus eum huc adducit.

AJ. Affer hunc, affer huc; non enim conspecta recenti hac cæde expavescet, si quidem vero me patre satus est: sed statim illum ad crudos patris mores oportet tenerum fingi, et similem fieri ingenio. O nate, utinam fias fortunatior patre, cetera vero similis! ita sorte utaris haud mala. Quamquam et nunc ob hoc te beatum prædicare fas est, quod nihil horum sentis malorum. Quippe nihil sapere vita est jucundissima, donec gaudere ac dolere quis discat. Quum autem eo ætatis veneris, tum cogites oportet, qui inimicis ostendas, qualis ex quali patre eductus sis. Interim vero levibus auris vescitor, vitam fovens novellam, hujusce tuæ matris oblectamentum. Nemo, sat scio, Achivûm odiosis te lædet contumeliis, ne quidem absente me: adeo paratum et præsto custodem tibi relinquam, Teucrum, educationis tuæ sedulum curatorem; tametsi nunc longinquus abest, hostili ex agro prædam agens. At vos, viri bellatores, nautica turba, jubeo, si communi me gratia demereri voltis, illi nuntiare mea mandata, ut puerum huncce ad domum meam deductum Telamoni ostendat, matrique meæ, Eribœam dico, qui ipsis sit usque senectæ præsidium, donec subeant Orci penetralia. Atque mea arma nec ulli proponant Achivis certaminum præsides, nec perda meus; sed ipsum septemplici bovis tergore compactum, infractum clypeum, a quo nomen habes, cape, nate Eurysaces, et tibi habe, per multiplicem versans lorum: cetera vero arma una mecum sepeliuntor. Jam vero, mulier, puerum hunc ocius accipe, domusque fores obsera, neque ad hæc tentoria incende luctus. Valde promptum est flere femina. Ocius inquam januam operi: non est sapientis medici carmina canere ferrum poscenti malo.

CH. Male metuo, audiens quanto flagres studio: quippe haud mihi placet asperata tua lingua.

TECM. O here Ajax, quidnam moliris animo?

AJ. Ne quærito, ne scrutare: decus est tibi modestia.

TECM. Hei mihi! quam animum despondeo! Perque Deos te obtestor, perque tuum gnatum, ne nos proditum eas.

AJ. Nimis quidem molesta es. An nescis me omni erga Deos officio solutum esse?

TECM. Bene ominata loquere.

AJ. Audientibus narra.

TECM. Morem ergo non geres?

AJ. Nimis multa jam garris.

TECM. Metuo enim, ô rex.

AJ. Quin concluditis illam ocius?

TECM. Per Deos, animum molli.

AJ. Næ parum mihi videris sapere, si meos mores jam tandem erudire cogites.

CH. O inclyta Salamis, mari circumfusa, tu nunc quidem incoleris felix, cunctis spectabilis semper: ego vero miser jamdudum dego Idæis in pascuis, nullo habitus numero, semper volventibus annis attritus, malam adhuc spem fovens, fore ut demum migrem ad detestandum tenebrosum Orcum. Ad hæc mala hoc etiam accedit, tanquam tertiarius adest insanabilis Ajax, hei mihi! divinitus immisso correptus furore; quem emisisti olim Martiis victorem præliis: nunc contra mentis suæ devius, amicis ingens exstitit luctus: priora autem maximæ virtutis facinora apud ingratos ingrata cecidere, stultos Atridas. Nimirum quando illum mater longæva, cano confecta senio, audiet mente captum ægrotare, vulgarem haud faciet lessum, nec miserabilis lusciniæ luctuosum carmen occinet infelix, sed in clamosos erumpet ejulatus: tunsum manibus sonabit pectus, canæque lacerabuntur comæ. Quippe satius est Orci condi, quam immedicabili morbo agitari, qui paterni generis nobilitate præstans fortibus Achivis, non amplius inhæret consuetis moribus, sed versatur extra. O miser genitor, qualis te manet audienda nati intolerabilis calamitas, cujusmodi nulla hucusque tulit ætas Æacidis, præterquam huic uni viro!

AJ. Omnia longum infinitumque tempus promit in lucem occulta, palamque facta occulit: nec est quidquam, quod fieri haud posse putes: sed vincitur etiam jurisjurandi religio, et mentis obstinatæ rigor. Namque ego, qui dudum vehementer obdurueram, ut ferrum aqua tinctum, nunc hebeo, emollitus ab hac muliere. Miseret enim me ejus, quod et ipsam viduam inter hostes, et filium orphanum relinquo. Sed eo ad lavacra et litoralia prata, ut purificatus a piaculo, gravem iram Deæ effugiam. Progressus autem in desertum et inaccessum locum, abstrudam gladium hunc, telorum inimicissimum mihi, in humum defossum, ubi nemo eum visurus est: sed illum Nox Orcusque sub terra servanto. Quippe ex quo illum dono accepi ab Hectore, viro infensissimo, nihil inde ab Argivis adeptus sum boni. Nempe verum illud verbum est, quod vulgo dici solet: HOSTIUM DONA NON DONA, NEC UTILIA. Quare in posterum sciemus quidem Diis

cedere, ac discemus Atridas venerarier: imperatores sunt: itaque mos illis gerendus. Quippini? Namque cedunt honori quæ maxima etiam sunt et præpotentia. Continuo nivosæ hyemes frugiferæ æstati cedunt loco: concedit et noctis tenebrosæ orbis, ut candidis vecta bigis Aurora fulgeat: pontumque gementem furentibus ventis levis aura sopire solet: atque omnium domitor Somnus solvit quos devinxerat, nec semper constrictos tenet. Quidni ergo nos etiam discamus modestiores esse? Equidem nunc demum didici, inimicum ita a nobis odio esse prosequendum, ut qui amare rursus nos possit: vicissimque amicum ita amabo et officiis juvabo, ut qui aliquando possit fieri inimicus. Plerisque enim hominibus infidus est amicitiæ portus. Sed hæc recte se habebunt: tu vero, mulier, intro abi, Deosque sedulo comprecare, ut rata faciant ea quæ cupio: vosque, socii, eundem mihi honorem habete, et Teucro, ubi venerit, significate nos ut curet, parique vobiscum prosequatur studio. Ego enim illuc proficiscor, quo eundum est mihi: vos vero, quæ dico, facite, et forsitan brevi, etsi nunc miser sum, liberatum me audietis.

CH. Erigor cupidine, summoque exsulto gaudio: io, io, Pan, Pan, ô Pan pontivage, Cylleniæ nivalis saxoso de jugo nobis appare, ô qui Deorum ducis choreas, solo ingenio saltare doctus, ut mecum Nysia et Cnosia tripudia capessas. Nunc enim mihi saltare curæ est. Tuque, trajecto Icario mari, Rex Apollo Delie, conspicuus mihi adsis semper propitius. Solvit enim gravem dolorem ab oculis sedatus Martius furor. Nunc rursus, nunc, ô Jupiter, affulget lux candida, qua fas est ad citas fluctivagas naves auspicato accedere, quandoquidem Ajax malorum oblitus, justa operatus est Diis, venerandos ritus summa pietate colens. Omnia longum tempus absumit, nec quidquam fieri posse negem, siquidem post magna et desperata jurgia iram Atridis condonavit Ajax.

NUNT. Hoc primum, amici, vobis nuntiare volo: Teucer jam recens adest ab altis Mysiæ jugis: media autem ingressum castra conviciis lacessit tota simul Argivûm multitudo. Advenientem enim e longinquo ubi resciverunt, undique circumsteterunt: tum maledictis proscindebant hinc inde, nec linguæ temperabat quisquam; ipsum lymphati et insidiantis exercitui fratrem appellantes, nihilque affirmantes ei fore præsidii, quin saxis totus laceratus moriatur; ita ut eo usque venerint, ut jam manibus e vaginis educerentur gladii. Conquievit tamen contentio ad summum progressa, senum composta sermonibus. Verum ubi nobis est Ajax, ut hæc ipsi narrem? nam ei, qui summam habet, negotii quodcunque est indicare oportet.

CH. Non est intus. Sed modo abiit, nova consilia novis ut adjunxit moribus.

NUNT. Heu! heu! Nempe qui misit me hanc viam, tarde me misit, aut ipse tardius veni.

CH. Quid est tandem, quod ad hoc negotium defit?

NUNT. Virum hunc vetat Teucer, ne extra tentorium prodeat, priusquam ipse præsens adsit.

CH. At vero abiit, optimum secutus consilium, ut Deorum iram expiaret.

NUNT. Sunt ista prorsus plena stultitiæ verba, si quid sapienti mente Calchas vaticinatur.

CH. Quid ergo ait? Numquid de Ajacis egressu habet comperti?

NUNT. Tantum novi, atque ipse præsens adfui. Namque e corona conciliantum regum Calchas secedens seorsum ab Atridis, in manum Teucri familiariter immissa dextra, dixit et mandavit, omnibus ut modis cohiberet per hunccе, qui nunc lucet, diem Ajacem intra tentorium, neque pateretur elabi, si sospitem illum porro ac superstitem videre vellet. Agitabit enim hac sola die eum Divæ Minervæ ira, ut ille dixit. Namque prægrandia inutilisque molis corpora in graves calamitates a Diis præcipitari solere vates dicebat, si quis naturam hominis sortitus, non tamen, hominem uti decet, sapit. Ille vero statim quum domo proficisceretur, dementiæ manifestus fuit, pulchre monenti non auscultans patri. Hic enim his verbis illum affatus est. *Fili, armis quidem stude vincere, sed vincere semper cum Deò.* Cui ille arroganter et stolide respondit: *Pater, cum Diis homo etiam nihili victoriam consequi possit: ego vero vel absque illorum ope confido me istam adepturum esse gloriam.* Tam superbos ille jactabat sermones. Deinde iterum Divæ Minervæ ipsum incitanti, jubentique in hostes infestam vertere manum, atrox et infandum retulit dictum: *Regina, ceteris Argivis præsto adsis: in hanc quam nos tutamur partem nunquam perrumpet vis pugnæ.* Hisce sermonibus implacabilem Deæ in se concitavit iram, animos supra humanam sortem gerens. At hanc tamen si superest diem, tum forte possimus eum, Deo juvante, sospitare. Sic quidem locutus est vates: Teucer me vero illico ex consessu mittit, mandata hæc ut observes, tibi jussurum: quæ si frustra pertulimus, non amplius superest vir ille, aut nihil sapit Calchas.

CH. O misera Tecmessa, infelix genus, prodi foras, et vide quos iste sermones affert. Ad vivum enim resecat, gaudiumque omne expectorat animo.

TECM. Quid me miseram, vixdum ab inexhaustis malis quiescentem, e sede excitatis denuo?

CH. Ex viri hujus ore percipe, ut nobis affert de Ajacis sorte nuntium illætabilem.

TECM. Hei mihi! Quid narras, mi homo? numnam periimus?

NUNT. De te quid fiat nescio: verum de Ajace, si foras egressus est, metuo male.

TECM. Atqui egressus est: quare angor animo, exspectans quid dicturus sis.

NUNT. Illum intra tentoria cohibere Teucer jubet, nec solum egredi sinere.

TECM. Ubi vero est Teucer? et cur ista dicit?

NUNT. Modo ille advenit: hunc vero Ajacis egressum metuit ne exitialis sit.

TECM. Hei mihi miseræ! mortalium ex quo hoc audivit?

NUNT. Ex Thestoride vate, hunc ipsum diem illi vel mortem vel vitam afferre.

TECM. Hei mihi! amici, opem ferte in urgenti hac necessitate; partimque festinate Teucrum ocius huc arcessere: alii vero ad occidentalia montium jugo, alii ad orientalia euntes, quærite ubi sit vir inauspicato egressus. Sentio enim me a viro deceptam, et veteri apud ipsum gratia excidisse. Hei mihi! quid agam, fili? segnitiæ nihil loci est: sed pergam et ego illuc, quam queo citissime. Eamus, acceleremus, cessato haud est opus, si cupimus virum servare, qui properat mori.

CH. Paratus sum ire; neque verbis id ostendam modo: consequetur enim pedum etiam operisque celeritas.

AJ. Stat quidem erectus occisor ensis ad eum modum, quo maxime penetrare queat, si cui et hoc considerare vacat, donum Hectoris, hospitum mihi maxime exosi et invisissimi: impactus est vero in hostili Troïco solo, ferrum absumente cote recens exacutus: ipse autem eum defixi expeditum probe, benevolentissimum mihi, ut protinus moriar. Ita quidem bene instructi sumus. Post illa vero tu primus me, Jupiter, sic enim decet, juva: munus vero abs te petam haud ita magnum: mitte mea gratia nuntium quempiam, Teucro qui tristem famam ferat, ut ille quamprimum me et ante omnes tollat collapsum in hunc cruentum gladium, et ne ab inimico aliquo conspectus prius, projiciar canibus alitibusque præda. Tantum te, Jupiter, rogo: simulque invoco Mercurium Inferum, animarum deductorem, ut me leniter sopiat, facili celerique defunctum casu, ubi hoc gladio latus perrupero. Quin advoco in auxilium sempervirgines, semperque intuentes mortalium facta, venerandas celeripedes Erinnyas, ut cognoscant, quemadmodum ab Atridis pereo miser: atque illos ultimum in exitium corripiant malos male: utque me vident manu mea cadere, sic illi a carissimis suorum liberûm ad necem adacti, propria manu sibi letum consciscant. Ite, ô veloces ultricesque Erinnyes, tentate exercitum omnem, ne parcite. Tuque, ô per altum cœlum qui currum agis, Sol, quum terram meam paternam videbis, inhibens parumper aureas habenas, nuntia calamitates, fatumque meum grandævo patri, miseræque matri. Nimirum infelix illa, ubi hanc audierit famam, ingentem per totam urbem edet ejulatum. Sed nihil attinet hæc frustra deplorare: quin potius rem celeriter aggredi oportet. O Mors, Mors, nunc ades et me respice; quamquam te quidem illic una conversans affabor. Te autem, ô splendidæ diei præsens jubar, et Solem aurigam nunc alloquor, postremum sane, et nunquam posthac amplius. O lumen, ô patriæ terræ Salaminis sacrum solum, ô larium paternorum sedes, inclytæquæ Athenæ, et educatum una genus, fontesque, fluminaque hæc, et Trojani campi, vos appello; valete nutricii mei: hæc vobis Ajax edit ultima verba: cetera apud Orcum inferis narrabo.

SEMICH. Labor labori additus laborem cumulat. Quo enim, quo non penetravi ego? nec tamen ullus est locus, qui me condo-

cefacere queat. Ecce vero, ecce! strepitum enim quendam audio.

SEMICH. Nostrûm quidem, navalium sociorum.

SEMICH. Quid igitur est?

SEMICH. Totum perlustravi nauticorum castrorum occidentale latus.

SEMICH. Habesne igitur?

SEMICH. Laboris quidem copiam, et nihil amplius, quod [illegible] viderim.

SEMICH. Nec mihi sane ad orientem solem pergenti vir [illegible] hic usquam conspiciendum se obtulit.

CH. Quis igitur mihi, quisnam ex laboriosis piscatoribus, [illegible] capturæ intentus, soporis expers, aut quæ Dearum vel Olympiadum, vel labentes in Bosporum fluvios incolentium, dicat, sicubi forte ferum Ajacem videat errantem. Grave est enim vagantem multo cum labore irritum peregisse cursum, meque hominem imbecillum et viribus fractum, ubi est non cernere.

TECM. Hei mihi, hei mihi!

CH. Cuja vox hæc proxime e nemore exiit?

TECM. Heu me infelicem!

CH. Captivam Tecmessam, miseram sponsam video, in *hos* effusam questus.

TECM. Perii, occidi, actum est, amici: nihil superest mihi.

CH. Quid id est?

TECM. Ajax hicce nobis jacet recenti confectus vulnere, furtivo sese indutus gladio.

CH. Eheu! de reditu actum est mihi. Eheu! occidisti, rex me tuum socium. O miser ego! ô ærumnosa mulier!

TECM. Nunc, ut res se habet, lugere decet.

CH. Sed cuja miser facinus patravit manu?

TECM. Sua ipse, ut liquet. Arguit eum hic illius ensis terræ infixus, in quem procubuit.

CH. Eheu meam calamitatem! Solus ergo neci occubuisti, nullis septus amicis: ego vero nimis quam stolidus, nimis quam iners neglexi. Ubi, ubi jacet intractabilis ille, ille infausti nominis Ajax?

TECM. Spectare non sino: sed illum circumjecta hac veste tegam undique. Quippe nemo, amicus qui sit, intueri sustineat naribus efflantem atrum sanguinem, et ex cruento vulnere quod sibi inflixit ipse. Hei mihi! quid faciam? quis te tollet amicorum? ubi Teucer est? Quam adveniret, si quidem adveniret, tempori, ut lapsum hunc suum fratrem simul componeret! O infelix Ajax, quantus vir, quam misere te habes, ut hostibus etiam lacrymas excutere possis!

CH. Destinabas ergo infelix propositique pertinax, defungi olim fato improbo indesinentium calamitatum. Tales mihi pernox et perdius immiti pectore tollebas gemitus, infesta fundens Atridis verba diro cum affectu. Magnum sane illud initium fuit tempus malorum, quando de Achillis armis certamen virtutis fuit propositum.

TECM. Væ mihi miseræ!

CH. Ad jecur penetrat, sat novi, acer dolor.

TECM. Væ mihi miseræ!

CH. Nil mirum, te, mulier, ejulatum iterare, quam tali amico rbavit recens casus.

TECM. Tu hæc opinaris tantum; ego vero nimis sentio.

CH. Fateor.

TECM. Hei mihi! nate, quod servitutis jugum subimus? ales nobis imminent heri?

CH. Eheu! nefandum sane factum memorasti geminorum tridarum, in hoc luctu immisericordium; sed prohibeat Deus!

TECM. Ne hæc quidem sic se haberent, absque Deis foret.

CH. At sane onus nimis grave concinnarunt.

TECM. Utique noxam hanc machinata est sæva Jovis nata, Pallas, Ulyssis gratia.

CH. Nimirum dolosa mente nobis illudit laborum patiens Ulysses, et multis cachinnis ridet dolores hos, quos peperit Aja-is furor, heu, heu! simulque, ista quum audiunt, gemini reges Atridæ.

TECM. Rideant illi sane et gaudeant hujus viri malis. Forte tsi vivum desiderarunt minus, mortuum lugebunt in belli dis-rimine. Nam stulti bonum tenentes manibus, non ante id nimadvertunt, quam amiserint. Mihi acerbus periit magis, uam illis jucundus, ipsi vero sibi lubens: quæ enim optavit ssequi, adeptus est sibi; mortem nempe quam voluit. Quid, uæso, habent hi, quod illum irrideant? Diis occidit volentibus: n his auctoribus? neutiquam. Proinde Ulysses inanes jaciat ontumelias. Illis enim non amplius est Ajax; sed mihi relictis oloribusque et luctibus, periit.

TEUC. Væ misero mihi!

CH. Tace. Vocem Teucri mihi videor audire, edentis clamo-em huic calamitati consonum.

TEUC. O carissime Ajax, ô dulce fraternum caput, itane, ut ama fert, tecum actum est?

CH. Periit vir ille; Teucer, hoc certo scito.

TEUC. Hei mihi! ô gravem igitur meam fortunam!

CH. Hæc quum ita sint—

TEUC. O miser ego, ter miser!

CH. Lugendi adest copia.

TEUC. O gravem asperamque calamitatem!

CH. Nimium quidem, Teucer.

TEUC. Heu miser! Quid filius autem hujus? Quonam Troï-cæ terræ versatur in loco?

CH. Apud tentoria solus.

TEUC. Non eum confestim huc adduces, ne quis inimicorum, tanquam orbæ catulum leænæ, eum abripiat? age festina, adjuva. Quippe jacentibus solent omnes mortuis illudere.

CH. Et quidem quum viveret ille, ut tibi curæ esset filius, mandabat, quemadmodum et curæ est.

TEUC. O omnium quæ unquam oculis viderim, acerbissimum

spectaculum! ô præter omnia quæ antea confeci, cor meum lædens iter, quo huc modo veni, te, ô carissime Ajax, ut primum fatalem tuum casum audivi, persequens et investigans! celer enim de te fama, tanquam ferente Deo aliquo, pervaserat Achivos omnes, te nempe periise: quod ego miser ut audii, ut ingemui, etsi aberam procul; nunc vero intuens dispereo. Hei mihi! age retege mihi, ut quidquid mali est, id omne conspicer. O visu horrenda species, et audaciæ nimis acerbæ, quot morte tua tristes obsevisti animo meo curas! Quo enim, quosve ad homines adire potero, in rebus tuis afflictis qui te non juverim? Nimirum Telamon pater tuus meusque benigno me atque placido vultu excipiet venientem sine te? Quippini? qui ne felici quidem allato nuntio soleat lætius arridere. Ille quid reticebit? cui parcet convicio, nothum me ex captiva matre susceptum increpans, qui formidine et ignavia te prodiderim, carissime Ajax, vel dolo malo, ut tuas emortui opes ac domum possiderem? Talia dicet vir iræ impotens, senio morosus, levissimam quamque ob causam ad jurgia irritabilis; tandemque extorris patria ejiciar domo, pro libero servus vulgo notatus. Atque hæc quidem domi: hîc vero ad Trojam inimici quidem sunt mihi multi, pauca autem quæ juvent. Et hæc omnia infortunia te moriente nactus sum. Hei mihi! incertus quid agam. Quî te avellam a fero hoc acuto mucrone, quo occisore, miser, animam efflasti? Noverasne, ut Hector, tametsi mortuus, te olim perditurus erat? Videte, obsecro, duorum hominum fortunam. Hector enim eodem, quo eum hic donaverat, balteo constrictus ad equestrem currum, usque laceratus est, donec exhalavit animam: hic contra munus Hectoris hunc ensem habens, illi ipsi incubuit, letalique periit vulnere. Annon Erinnys hunc ensem fabricata est, atque illum balteum Orcus, immanis opifex! Itaque et hæc et alia omnia dixerim equidem hominibus semper struere Deos: si cui vero minus ista probatur sententia, is diversis acquiescat placitis, et ego meis hisce.

CH. Ne sermonem longius extende; sed quî hunc virum commendas sepulcro, quibusque verbis mox respondeas provide. Virum enim conspicor inimicum; forsitanque venerit, ut qui improbus sit, nostris ut rideat malis.

TEUC. Quis vero est ille vir de exercitu, quem vides?

CH. Menelaus, cujus gratia huc navigavimus.

TEUC. Video. Quippe jam propinquus agnitu facilis est.

MEN. Heus tu, tibi dico: hoc cadaver manibus ne componas; sed sinas ita ut adest.

TEUC. Nam cur tam superba verba jactitas?

MEN. Sic decretum mihi, decretum et ei qui exercitui imperat.

TEUC. Annon et quo prætextu hoc jubeas dices?

MEN. Quia quem opinabamur e patria adduxisse socium et amicum Achivis, illum experti deprehendimus nobis infensiorem, quam Phrygas ipsos: qui exercitui universo machinatus necem, noctu impressionem fecit, ut ferro nos occideret: et nisi Deus quis hoc molimen restinxisset, nos hac ipsa, quam ille sortitus est

ortunam, cæsi jacuissemus fœdissima morte: ipse vero viveret. Nunc autem, mutata vice, Deus in pecua et greges hujus furorem ivertit. Quapropter nemo est adeo potens, ut humo condat illius adaver: sed flavæ arenæ litore projectus, avibus marinis fiet abulum. Proinde ne superbos nimis tolle spiritus. Nam si vientem compescere non potuimus, utique mortuo imperium inhiebimus, etiamsi nolis, vi coërcentes. Nullibi enim dictis parere ivus unquam voluit meis. Quamquam illud animi est improbi, uum homo privatus nihil se magistratibus obedire æquum ceneet. Haud enim unquam in civitate leges pulchre serventur, soluto netu; neque exercitus jussa ducum modeste capessat, omni metus t pudoris obice amoto. Sed cogitare oportet virum, se, quamvis ræstet magna mole corporis, parvo tamen a malo posse præcipiem dari. Quippe cui timor adest, pudorque simul, hunc sospitari cito: at sicubi omnis injuriæ prævalet licentia, hanc crede civiatem olim tandem cursu e secundo pessum ruituram tamen. Constet itaque mihi justus timoris modus; neque putemus, si, uæ juvent, fecerimus, nos non vicissim, quæ doleant, passuros sse. Mutuis ista vicibus alternant. Erat hic vir antea fervidus, njurius: nunc ego vicissim superbio; tibique prædico hunc ne ondas sepulcro, ne illum sepelire dum studes, ipse in sepulcrum adas.

CH. Menelae, ne post edita sapienter tot effata, ipse in mortuos injurius fias.

TEUC. Haud equidem amplius, ô viri, demirabor peccare hoinem ortu ignobilem, quum qui videntur generosa stirpe pronati, tam stultis sermonibus graviter peccant adeo. Age repete b initio. Num tu ais hunc virum Achivis socium huc adduxisse? Non ipse sua sponte enavigavit, ut sui juris? Ubinam tu impeator ejus fuisti? ubinam tibi licuit copiis præesse, quas ille patria duxit? Spartæ rex venisti, neutiquam in nos imperium obtinens: eque usquam plus tibi fuit in eum juris, quam illi in te. Subdius aliis huc appulisti, non omnium dux, ut Ajaci quoque præesses nquam. Sed quibus imperas, impera, et eos severis hujusmodi ictis increpa: hunc vero, sive tu vetes, sive dux ille alter, rite et t fas est, condam ego sepulcro, minas haud veritus tuas. Neuquam enim tuæ conjugis ergo militavit, ut qui labori parcentes ulli merent stipendia, sed jurisjurandi ergo, quo erat obstrictus, ua vero gratia nequaquam. Nihili enim pendebat, si quis esset ullius pretii homo. Proinde plurimos tecum adducens præcones, sumque imperatorem, huc veni: tuam vero vaniloquentiam nihil moror, quamdiu es is qui es.

CH. Nec rursus probo, si quis in afflictis rebus tales fundit ermones: dura enim, quamlibet ea justa sint, mordent.

MEN. Sagittarius hic non humilia videtur sentire.

TEUC. Nempe haud sordidam artem exerceo.

MEN. Altos sumeres spiritus, si tibi scutum liceret ferre.

TEUC. Nudus etiam suffecerim armato tibi.

MEN. Lingua tua animos certe magnos alit.

TEUC. Cum justitia enim tollere animos licet.

MEN. Justumne ergo censes, bene cum hoc agi, qui me occidit?

TEUC. Hui occidit! Pol mirum narras, si quidem vivis mortuus.

MEN. Deus enim me servavit: quantum in isto erat, perii.

TEUC. Ne igitur violes Deos, a Diis servatus.

MEN. Egone temnam Deorum leges?

TEUC. Ita, si mortuos tumulare non sinas.

MEN. Hostes nimirum ipse meos non sino. Haud enim decet.

TEUC. En ergo unquam tibi Ajax hostis obstitit?

MEN. Osorem oderam: teque adeo hoc non latuit.

TEUC. Quippe cujus doloso fraudatum se sensit suffragio.

MEN. Judicum, non id culpa factum est mea.

TEUC. Multo male tu furtim conficere possis mala.

MEN. Hæc dicta alicui cedunt dolori.

TEUC. Non tanto, ut videtur, quantum a me senties.

MEN. Unum tibi edicam: hic vir non tumulabitur.

TEUC. Unum tu vicissim audi: tumulabitur.

MEN. Jam equidem antea hominem vidi lingua audacem, qui imminente hieme nautas excitabat ut navigarent, cujus ne vocem quidem audisses, quum tempestate undique obrueretur; sed pallio involutus calcandum ultro se dabat quibuslibet navitis. Ita quidem et te et tui petulantis oris odiosum clamorem parva e nubecula ingens erumpens tempestas forsitan restinxerit.

TEUC. Ego vero hominem vidi stultitia plenum, qui aliorum insultabat malis. Dein ipsum intuitus quidam similis mei, moresque referens meos, increpuit hisce vocibus: *Mi homo, in mortuos ne sis injurius; si enim eis male feceris, malo ipse, scito, mactaberis.* Sic stolidum illum monebat alter qui aderat. Atqui illum video, estque, ni fallor, nemo alius quam tu ipse. Num obscure locutus sum?

MEN. Abeo: nam probrosum auditu fuerit, si quis verbis rixetur, qui vi coërcere possit.

TEUC. Apage te ergo; nam et mihi probrum maximum est audire hominem nugacem inania effutientem verba.

CH. Magna contentione committetur certamen quodpiam. Verum quantum potes, Teucer, properans, cavam fossam huic reperire festina, ubi putri conditus humo, mortalibus semper memorabile sepulcrum obtineat.

TEUC. Atqui ipso in tempore præsto adsunt isti, hujus viri filius et uxor, funus infelicis mortui concelebraturi. O puer, huc accede, et adstans prope, suppliciter tange patrem, qui te genuit: adside illum obtuens, tenensque in manibus comas meas, et hujus et tuas tertii, supplicii thesaurum. Si quis vero ex exercitu vi te abstraxerit ab hoc funere, ipse insepultus patria excidat malus male, genereque toto demetatur radicitus, ut hunc ego præseco capillum. Tene illum, puer, et serva; neque te amoveat quis, sed accidens patri inhære. Vosque ne mulieres facti pro viris prope assistite, sed opitulamini, donec ego rediero, sepulcrum huic postquam curavero, etiamsi id nemo sinat.

CH. Ergo quis erit ultimus? quando tandem mobilium desi-

net annorum numerus infinitas perpetim mihi bellicorum laborum miserias inducens, Trojam ad istam, quæ nos absumit, Achivûm infelix dedecus? O utinam prius immensi ætheris evanuisset in auras, communemve omnibus subiisset Orcum, quisquis tristium monstravit Græcis mutuum armorum usum! Heu! labores laboribus succrescentes! ille enim hominum pestem dedit genus. Ille neque corollarum, neque capacium calicum dedit mihi voluptate frui, neque dulci tibiarum sono, infelix, nec blandis amoribus ducere noctes: quin sustulit amores, heu! Jaceo autem ita neglectus, crebris roribus semper madens comas, infaustæ monumenta Trojæ. Antea quidem adversus nocturnos terrores et infesta tela munimentum erat mihi strenuus Ajax: nunc vero ipse traditus est inviso dæmoni. Quæ mihi, quænam posthæc voluptas erit? Utinam essem, ubi silvosum imminet ponto promontorium undisonum summo sub æquore Sunii, sacras ut alloquerer Athenas!

TEUC. Enimvero properavi, conspicatus ducem Agamemnonem ad nos huc cito tendentem gradu: statim ipsa fronte indicat, se mihi sinistra quædam dicturum esse.

AGAM. Tene acerba dicta renuntiant mihi audere contra nos impune adeo profundere? te quidem dico matre captiva natum. Scilicet generosa si te peperisset mater, magnifice te jactares, summisque digitulis incederes, quandoquidem homo nihili pro eo qui nihil est adeo depugnas: et neque exercitus, neque navium duces venisse nos Achivorum, neque tui, dejerasti; sed sui ipse juris, ut ais, Ajax enavigavit. Nonne hæc a servis audire ingens est dedecus? Qualis autem viri gratia adeo superba vociferatus es? Quo progressus ille, vel ubi stetit, quo non et ego? Nulline ergo Achivis sunt viri, præter hunc? Inauspicato jam ne, ut videmur, de Achilleis armis certamen proposuimus Argivis, si nullibi non declarabimur a Teucro improbi, nec unquam fuerit vobis, ne victis quidem, cedere, plurimorumque judicum sententiæ acquiescere; sed semper nos vel conviciis impetetis, vel latentibus pungetis dolis, quia cecidistis causa. His profecto moribus nulla unquam lex constare poterit, si, qui judicio superiores fuerunt, cedere cogentur, et qui victi sunt, potiore habebuntur loco. Sed prohibenda hæc sunt. Non enim vasta mole corporis latisque humeris viri sunt tutissimi; sed qui recta sapiunt, vincunt ubique. Nam et magnus latera bos ab exiguo tamen flagello rectam in viam propellitur: tibique adventare hoc remedium video protinus, nisi ad sanam redieris mentem: qui hominis causa haud amplius viventis, jamque evanidæ umbræ, fidenter conviciaris, et libero blateras ore. Non modestius compones ferocem animum? non, quum noris qualibus sis natalibus, alium quempiam huc adduces ingenuum virum, qui pro te verba faciat? te enim dicente, haud ego dicta percipere queam, ut qui barbaram linguam non intelligam.

CH. Utinam utrique vestrûm mens foret modestior! Nihil enim, quod e re amborum dicam, habeo melius.

TEUC. Heu! quam cito mortui cujusvis apud superstites ef-

fluit gratia, et prodita deprehenditur! si quidem vir hic nullam tui, Ajax, retinet memoriam, ne quidem ut in re minima officium tibi præstet, pro quo tu sæpe tuam objiciens animam belli subiisti laborem. Sed abierunt jam cuncta hæc irrita. O qui infanda multa modo prolocutus es, nihilne amplius omnino meministi, ut intra vallum vos olim conclusos, jam penitus perditos, fusosque prælio, vir hic adventu suo solus liberavit, quum jam flammis arderent summi nautici fori, Hectorque superatis fossis in naves insiliret ferox? Quis hæc propulsavit? Non hic est, qui ista fecit, quem nuspiam dicis hosti contulisse pedem? Anne vera ista sunt hujus viri facinora? Neque adeo rursus, ut solus ipse soli Hectori, sortitus et injussus, conseruit pugnam, non fugace immissa inter alias sorte, udæ telluris gleba, sed quæ cristata e casside prima exsultura erat? Hic est, qui ista fecit, unaque ego interfui, ego ille servus, ille matre cretus barbara. Miser, quo tandem respiciens et hæc audes fari? Num ignoras, qui patris tui prosator fuit, antiquum illum Pelopa, barbarum Phrygem? Num porro Atrea, genitorem tuum, hominem sacerrimum, qui fratri proprios apposuit epulandos liberos? Tu autem ipse matre natus es Cressa, quam suus pater cum stupratore deprehensam in mare projici jussit mutis piscibus pabulum. Talis vero quum sis, tali natales exprobras mihi? qui patre quidem sum Telamone natus, cui propter egregiam præ ceteris virtutem hic habitus honos, ut sociam tori matrem meam abduceret, regia prognatam stirpe, Laomedontis filiam: ipsamque illi munus eximium dedit Hercules. Siccine ergo optimus, duobus optimis satus, dedecori futurus videar cognatis meis, quos tu nunc tantis depressos malis projicis insepultos? Nec te hujus edicti pudet? At hoc jam scito: si quo hunc abjicietis, abjicietis et nos tres una jacentes. Quippe honestius est mihi pro illo decertanti præclaram mortem oppetere, quam tua pro uxore aut pro germano tuo. Proinde vide, non quod mea, sed quod intersit tua: namque si me quidpiam læseris, optabis aliquando te vel timidum fuisse potius, quam erga me ferocem.

CH. O rex Ulysse, tempori te venisse scias, si non commissurus hos, sed litem diremturus ades.

ULYS. Quid rei est, viri? Procul enim audivi vocem Atridarum super hoc viri fortis cadavere.

AGAM. Nonne enim, Ulysse, turpissima verba audimus isto ab homine jamdudum?

ULYS. Qualia? Equidem viro ignosco qui maledictis provocatus, maledicta regerit.

AGAM. Turpia quidem audiit, qualia erant ipsius in me facta.

ULYS. Quid ergo tibi fecit, quod tibi damno sit?

AGAM. Negat se hoc cadaver insepultum relicturum: quin sepulturum se ait ingratiis meis.

ULYS. Licetne igitur vera dicenti amico, tua, non minus quam ante, manere in concordia?

AGAM. Dic: nec si vetarem, mentis essem sanæ, siquidem amicum te maximum ex Argivis duco.

ULYS. Audi igitur. Virum hunc, per Deos te obtestor, ne sustineas insepultum adeo inclementer abjicere: neque violentia te ullo modo vincat usque adeo odisse, ut fas susque deque habeas. Nam erat mihi olim inimicissimus ille ex omni exercitu, ex quo mihi addicta fuerunt Achillis arma: at illum tamen, etsi eo in me animo, non ita despicatui habeam, ut non fatear unum me vidisse fortissimum Argivorum, quotquot ad Trojam venimus, excepto Achille. Proinde injurius sis, si eum suo prives honore: non enim hunc, sed Deorum leges violaveris. Virum autem strenuum nefas est post mortem lædere, ne quidem si antea oderis.

AGAM. Tune ad hunc modum, Ulysse, hujus gratia mihi resistis?

ULYS. Sane equidem: oderam vero, quum odisse fas erat.

AGAM. Non itaque et mortuo insultare te par est?

ULYS. Ne gaudeas, Atrida, impio lucro.

AGAM. Pietatem ubique colere, haud facile est regi.

ULYS. At facile bene monentibus amicis obsequi.

AGAM. Regibus parere oportet probum virum.

ULYS. Desine: victus ab amicis, victor es tamen.

AGAM. Memento in quem virum hanc confers gratiam.

ULYS. Inimicus hic quidem: at olim præstabat virtute.

AGAM. Quid fiet tibi, ubi mortuum inimicum adeo revereris?

ULYS. Virtus nempe apud me plus quam odium valet.

AGAM. Hac qui sunt mente, vecordes solent perhiberi vulgo.

ULYS. Atqui multi sunt nunc amici, qui postmodo odia inter se exercebunt.

AGAM. Talesne, quæso, postules amicos parare?

ULYS. Equidem præfractum animum laudare non soleo.

AGAM. Tu quidem facies, ut ignavi hodie videamur.

ULYS. Immo ut Achivis omnibus justi videamini.

AGAM. Suades ergo, ut hoc cadaver sepeliri sinam?

ULYS. Equidem. Nam et ipse mihi olim justa persolvi cupio.

AGAM. Ut quisque sibi quæ congruunt facit!

ULYS. Cui enim me magis convenit, quam mihi studere?

AGAM. Tuum igitur hoc factum, non meum vocabitur.

ULYS. Ut feceris, ita bonus habeberis ubique.

AGAM. At tamen hoc certo scias, me vel majore in re tibi gratificari velle. Hic vero mortuus et vivus pariter mihi omnium erit maxime invisus. Porro tibi facere licet quod facto est opus.

CH. Si quis te, Ulysse, hac mente præditum, haud sapientem prædicat, næ ille stultus est homo.

ULYS. At vero nunc Teucro id in posterum denuntio, me quam antea inimicus fuerim, tam denuo amicum esse: et mortui hujus funus una curare volo, omnemque conferre operam, nec quidquam omittere, quod fortissimis viris omnes præstare addecet.

TEUC. Optime Ulysse, omnibus te modis laudare possim, ut qui longe meam fefelleris opinionem. Qui enim huic eras Achivorum inimicissimus, tu solus ei opem tulisti, nec mortuo huic vivus illudere sustinuisti, ut imperator ille lymphatus, ipseque et suus frater eum voluerunt omni affectum contumelia insepul-

tum abjicere. Quare illos Olympi hujus rector Jupiter, memorque Erinnys, et pœnarum exactrix Justitia malos male perdant, sicut voluerunt hunc virum contumeliis objicere indigne. Te vero, ô longævi proles Laërtæ patris, vereor equidem sinere, ut hoc funus contingas, ne, hoc si faciam, mortuo ingratum sit. Cetera vero nos adjuva; et si quem de exercitu alium funus curare voles, non grave nobis erit. Ego vero reliqua omnia administrabo: tu autem te viri in nos boni officio functum esse scito.

ULYS. Volui equidem: at si tibi minus gratum est me una curare, abeo et approbo tuam sententiam.

TEUC. Satis est: jam enim multum elapsum est temporis. At vos alii cavam fossam properate manibus; alii vero altum tripodem igni imponite, piis aptum lavacris: at una e tentorio militum turma armorum ornatum afferat. Tu vero, puer, amanter patrem quantum potes apprehende, unaque mecum latera hæc alleva. Adhuc enim calidi vulneris ora sursum efflant atrum cruorem. Verum age, quisquis se amicum ait adesse, properato, ito, huic viro operam dans in omnibus bono, nullique unquam mortalium meliori Ajace: quamdiu vixit, hoc dico.

CH. Quam multa homines experientia docet! Priusquam vero eventum videas, nullus vates tibi quo res sit processura dixerit.

SOPHOCLIS

PHILOCTETES.

DRAMATIS PERSONÆ.

ULYSSES.

NEOPTOLEMUS.

CHORUS.

PHILOCTETES.

SPECULATOR MERCATORIS HABITU.

HERCULES.

SOPHOCLIS

PHILOCTETES.

ULYS. LITUS quidem hoc est circumfluæ terræ Lemni, mortalibus nec tritum nec habitatum, ubi, ô patre Achivorum fortissimo crete, Achillis fili, Neoptoleme, Meliensem Pœantis natum jussus a Regibus exposui ego olim, tabo fluentem, ex ulcere pedem depascente: quum nec libamina aris imponere, neque exta tangere quietis nobis liceret, sed tota castra diro omine impleret querelis, clamans semper gemensque. Sed quid hæc frustra memoro? Quippe longis sermonibus haud opus est, ne venisse me hic sentiat, dolusque omnis subvertatur mihi, quo me illum mox capturum arbitror. Tuæ vero partes sunt, in ceteris ut subservias, dispiciasque ubinam hic sit gemino sic patens ostio petra, ut hieme utraque sedes solem excipiat, æstate vero apertum utrinque antrum permeans aura somnos cieat: at paullum infra ad lævam videre possis aquæ limpidæ fontem, siquidem haud evanuit. Silentio te confer ad ista loca, atque mihi renuntia, utrum illic an alibi habitet, ut consiliorum meorum quod superest me dicente percipias, communique amborum opera ad exitum perducantur.

NEOPT. Haud longe absunt, rex Ulysse, quæ me inspicere jubes: videor enim specum, qualem dixisti, videre.

ULYS. Superne, an inferne? non enim discerno.

NEOPT. Illum superne: nec ulla vestigii apparet nota.

ULYS. Vide num humi recumbit dormiens.

NEOPT. Vacuam habitationem video, ubi nemo est homo.

ULYS. Neque intus apparatus est ullus cibus?

NEOPT. Substrata foliis humus, ut cupiam ibi incubanti.

ULYS. Ceterane sunt vacua, nec quidquam ultra sub tecto est?

NEOPT. Poculum est e ligno cavatum, pravi sane artificis opus, unaque hæc focalia.

ULYS. Viri totam supellectilem narras scilicet.

NEOPT. Eheu, eheu! Præterea hîc siccantur laceri panni, fœda, ut videtur, sanie pleni.

ULYS. Plane in hisce locis vir habitat, atque alicubi haud procul abest. Quî enim veteri morbo pedem æger progrediatur longius? Sed vel in pabuli consuetam viam exiit, vel herbam, si quam novit alicubi, qua sedet dolores, carpturus. Hunc itaque

socium, qui adest, mitte speculatum, ne in me imprudentem incidat. Quippe unum me malit prehendere, quam ceteros Achivos omnes.

NEOPT. En ille vadit, et semita custodietur; tu vero, si quid vis ultra, rursus expedi.

ULYS. Achillis nate, oportet te in his, quorum gratia huc venisti, strenuum esse non solum corpore, sed si quid novum, nec ante auditum tibi, audias, ministrare in eo, uti minister ades.

NEOPT. Quid ergo jubes?

ULYS. Meditari te oportet quî Philoctetæ animum verbis fallas subdolis. Quando te rogabit, quis es, et unde ades, dic filium te esse Achillis: hoc enim celare haud necesse est: navigare autem te domum, deserto navali Achivorum exercitu, quos impense oderis, qui postquam te supplicibus precibus arcessivissent domo, quia in te uno sita illis spes esset capiendi Ilii, venienti tamen haud dignati sint tibi Achillis arma dare, quæ jure tuo peteres, Ulyssi vero tradiderint ea; simulque in me dic, ut voles, quidquid probri et maledicti est; nec est quod inde me quidquam lædas; ista vero ni feceris, Achivis omnibus ærumnas conficies graves. Nisi enim hujus arcus et sagittæ capientur, non poteris unquam expugnare Dardani urbem. Disce autem, cur mihi quidem non liceat, tibi vero fas sit fidenter et tuto cum hoc viro colloqui. Tu quidem navigasti, nemini juramento obstrictus, neque ex necessitate, nec primæ expeditionis particeps fuisti: horum autem nihil est infitiandum mihi. Quare, si potitus arcum, me adesse senserit, perii, et te simul mecum perdam. Quocirca callide comminisci debes, quî furto auferas invicta arma. Novi equidem te non esse eo ingenio natum, ut falsa loquaris, aut dolo struas alii malum. At tamen jucunda res est victoriam adipisci. Aude: justi vero post rursus erimus. Nunc autem ad hujus diei partem exiguam da te mihi impudentem; et deinde reliquum tempus vocator omnium sanctissimus mortalium.

NEOPT. Ego vero, Laërtis fili, dicta quæ non audio lubenti animo, eadem exsequi haud minus odi. Hoc enim a natura habeo, ut nihil de insidiis agam, neque ego, neque, ut aiunt, qui me genuit pater. Sed paratus sum virum vi abducere, et non dolis. Non enim ille claudus altero pede nos tanto valentiores vi devicerit. Missus equidem tecum ut adjutor, nolim proditor vocari. Malo autem, ô rex, honesta faciendo spe excidere, quam turpi facto voti compos fieri.

ULYS. Optimi patris fili, et ipse, juvenis quum essem olim, linguam quidem otiosam, manum vero habebam ad opera promptam: nunc autem, re perspecta et explorata, video inter mortales linguam esse, non opera, quæ omnia gubernet.

NEOPT. Quid igitur aliud me jubes, quam mentiri?

ULYS. Aio Philocteten dolo tibi capiundum esse.

NEOPT. Cur dolo potius, quam persuadendo abducam?

ULYS. Haud persuadebitur: vi autem capere nequeas.

NEOPT. Estne illi tantum, quo confidat, robur?

ULYS. Sunt certæ sagittæ, letum ferentes.

NEOPT. Anne igitur ad eum ne quidem accedere tutum est?

ULYS. Neutiquam, nisi dolo ceperis, ut dico.

NEOPT. At, quæso, mentiri non turpe censes?

ULYS. Non, si mendacium quidem salutem afferat.

NEOPT. At qua fronte quis hæc audebit loqui?

ULYS. Quum lucri causa quid inceptas, pudere haud decet.

NEOPT. Quid vero lucri est mihi, si hic ad Trojam venerit?

ULYS. Solæ hæ sagittæ Trojam ceperint.

NEOPT. Atqui nonne eam ego, ut dicebatis, expugnaturus sum?

ULYS. Nec tu sine illis, nec illæ sine te.

NEOPT. Captandæ itaque sunt, quandoquidem ita se res habet.

ULYS. Porro si hoc feceris, gemina auferes præmia.

NEOPT. Quænam, cedo? si enim sciero, nihil renuam exsequi.

ULYS. Catus ut ipse simulque fortis voceris.

NEOPT. Age ergo, faciam quod jubes, omni pudore amoto.

ULYS. Tenesne animo igitur, quæ te monui?

NEOPT. Ne dubita, postquam semel assensi.

ULYS. Tu quidem ergo hic opperiens venientem eum excipe: ego vero abeo, ne coram me cernat: sociumque, quem modo speculatum amisisti, ad navem mittam denuo, hucque, si diutius cessare mihi videamini, eundem ipsum virum remittam naucleri habitu concinnatum callide, formaque adeo immutata, ut pro ignoto haberi possit: qui quum versute perplexa loquetur, tu, fili, ex ejus sermone quæcunque tibi ex usu erunt, arripe. Ego vero ad navem abeo, his tibi commissis: Mercurius autem fraudum repertor, duxque viæ nos dirigat, et victrix Minervæ arcium præses, quæ me servat semper.

CH. Quid peregrinus in peregrino solo reticeam, ô rex, quidve dicam homini suspicaci? edoce me. Solertia enim et consilio ceteris præstat quicunque divinum Jovis sceptrum regit. Ad te vero, ô fili, summum hoc imperium avis ab ultimis pervenit. Quare age dic quo modo tibi subserviam.

NEOPT. Mirum ni cupis extremos fines invisere loci quo ille cubile habet: nunc quidem ergo adspice fidenter; at ubi veniet viator formidabilis, hocce ex antro regredere, meumque ad nutum semper procedens, da operam, ut quodcunque facto opus fuerit facias.

CH. Rem jubes, ô rex, jamdudum meditatam mihi, oculo ut observem tuis maxime commodis intento: nunc vero dic mihi quonam in recessu abditus habitet, quemve teneat locum: id enim doceri operæ pretium est mihi, ne imprudenti alicunde superveniat. Quis locus, quæ sedes, quave carpit viam? intusne an foris?

NEOPT. Hoc quidem cernis illius domicilium, gemino patentem ostio rupem.

CH. Sed quo ipse miser abiit?

NEOPT. Nullus dubito, quin cibi quærendi gratia proximam hanc semitam ingressus ambulet alicubi. Hac enim ratione fama

fert illum sustentare vitam, alatis sagittis configentem feras, miserum, perpetuis conflictatum ærumnis, nec ad eum quemquam accedere, qui dolores sedare possit.

CH. Miseror equidem illius vicem, quem nemo curat mortalium, nec convictor ullus adspicit: sed infelix, solus semper, laborat atroci morbo, inopsque consilii despondet animum, sicubi eum cujusvis rei ad vitam necessariæ urget egestas. Quo tandem modo tot malis resistit? ô solers mortalium industria! ô infelicia hominum genera, quibus sors vitæ obtigit haud commoda! Hic majorum forte nulli secundus, rerum, quibus usus vitæ indiget, omnium expers, deserto in loco jacet solus inter pictas hirsutasve feras, doloribus simul et fame cruciatus, miserabilis, anxiferis curis frustra exercitus: tristis autem loquaci ore procul resonans Echo acerbis ejulatibus respondet.

NEOPT. Nihil est horum quod valde mirer; Divûm enim numine, si quid ego intelligo, eveniunt: atque hæc mala ex immitis Chryses ira eum invaserunt: quodque nunc, curante nemine, morbo afflictatur, non est ut hoc absque Deorum consilio fiat, ne prius hic in Trojam dirigat divina invicta tela, quam venerit tempus, quo dicitur ab illis expugnanda esse.

CH. Comprime vocem, fili.

NEOPT. Quid est?

CH. Strepitum audivi, qualis esse solet hominis quem pertentat dolor.

NEOPT. Numquid hinc, an illinc loci? accidit mihi revera vox alicujus ægre viam carpentis, neque me fallit procul auditus flebilis questus viri malis confecti: clare enim sonat.

CH. Sed concipe, fili—

NEOPT. Quidnam? cedo.

CH. Aliam cogitationem. Non procul, sed prope adest vir, haud lætum carmen fistula recinens, agrestis ut pastor: sed aut alicubi pedem offendens præ cruciatu vociferatur ingenti ejulatu, aut navem cernens ad inhospitalem portum appulsam. Atrox enim quidpiam clamat.

PHIL. Ehem hospites, quinam estis, quæso, qui ad hanc insulam importuosam et inhabitatam remis appulistis navem? Qua ex patria, quove vos ex genere esse dixerim? Forma quidem apparet vestitus Græci, quo nihil mihi visu est jucundius; at vocem audire cupio; nec me alloqui vereamini ita efferatum exhorrescentes: sed miserati hominem infelicem, solum, desertum hîc, amicis destitutum, malisque confectum, vocem edite, si amici quidem adestis: respondete, amabo: haud enim par est me a vobis hoc non impetrare, aut vos vicissim a me.

NEOPT. At scito hoc primum, hospes, nos Græcos esse, quandoquidem hoc scire cupis.

PHIL. O carissima vox! vah! vah! quàm juvat vel accepisse talis viri alloquium post tam longum tempus! Quis te huc, ô fili, appulit? quæ adduxit necessitas? quod consilium? quis ventus? næ ille amicissimus mihi! omne hoc mihi declara, ut sciam quis sis.

NEOPT. Natus sum equidem in insula Scyro: domum navigo: porro vocor Neoptolemas, Achillis filius. Rem totam tenes.

PHIL. O carissimi patris nate, ô cara edite patria, ô senis alumne Lycomedis, quonam suscepto itinere huc appulisti? undenam navigas?

NEOPT. Nunc quidem ex Ilio.

PHIL. Quid ais? non enim tu nobiscum classem conscendisti, quum primum ad Ilium profecti fuimus.

NEOPT. An et tu particeps fuisti istius expeditionis?

PHIL. O nate, non me ergo nosti, quem intueris?

NEOPT. Quomodo enim noverim, quem vidi nunquam?

PHIL. Neque nomen, neque calamitatum mearum famam ullam unquam audisti, quibus pereo miser?

NEOPT. Scito me nihil eorum nosse, de quibus rogas.

PHIL. O multa me calamitosum, ô invisum Diis, cujus ne fama quidem tam misere afflicti domum, nec usquam Græciæ pervenit! sed qui me huc ejecerunt impie, derident me taciti: lues autem mea usque integrascit, inque dies fit gravior. O fili, ô patris Achillis proles, en ille ego sum tibi, quem fando forte audiisti Herculearum possessorem sagittarum, filius Pœantis Philoctetes, quem gemini duces, rexque Cephallenum abjecere turpiter solum sic in deserto loco, letiferæ excetræ morsu infesto vulneratum, diroque inde tabescentem morbo; cum quo me, ô fili, hîc expositum solum reliquerunt atque abierunt, postquam e ponto circumflua Chrysa huc appulerunt. Scilicet ubi me viderunt ex multa maris jactatione dormientem in cava litoris rupe, læti solverunt naves, me deserto, appositisque mihi, ut mendico alicui, pannis pauculis, cibique subsidio tenui; qualia ipsis utinam contingant! Tu vero, ô fili, quem mihi e somno excitato, postquam illi profecti fuerunt, sensum fuisse putas, quas effudisse lacrymas, quibus lamentis mea deplorasse mala? Quum cernerem naves, quibus huc navigaveram, omnes abactas, hominemque in loco neminem, nec qui victus curam gereret, nec qui ægroto morbi levamen afferret. Omnia autem circumspiciens nihil vidi præter ærumnas adesse; harumque, ô fili, ingentem copiam. Interea mihi tempus sensim procedebat, die diem excipiente, oportebatque solum me hoc sub parvo tecto mihi ministrare omnia. Alimenta quidem suppeditabat hic arcus, quo volatiles petebam columbas: tum quodcunque mihi attigisset emissa nervo sagitta, hoc ut tollerem, provolvebam me, ægre trahens pedem miser. Atque etiam quum potu usus erat, vel, si pruinis terræ superfusis, ut hieme solet, necesse erat paulumper ligni cædere, hæc e specu repens ipse moliebar miser. Deinde ignis haud erat in promptu: sed silici silicem atterens, abstrusam vix elicui flammam, quæ hucusque me sospitat. Habitata enim casa hæc cum igne omnia, præter sanitatem, suppeditat mihi. Age nunc, ô nate, et insulæ hujus naturam disce. Hujus ad oras navita nullus sponte applicat: nulla est enim navibus statio, nec mercatoribus spes ulla est lucri, nec ulla hospitia.

Qui sapit huc nemo navigat. Forte fortuna aliquis appulit ingratiis, ut longa hominum vita plurimos istiusmodi casus ferre possit. Hi ubi advenerunt, ô fili, verbis quidem miserantur me, et forsitan etiam vicem dolentes meam, cibi aut vestis aliquid mihi impertiunt: at illud, ubi primum mentionem injicio, renuunt omnes, ut domum me reducant. Itaque conficior miser annum jam hunc decimum fame et doloribus, alens voracem luem. Talia mihi fecerunt, ô fili, Atridæ et Ulysses, quibus Olympii Dii dent, ut ipsi vicissim paria sustineant mala!

CH. Me quoque, haud secus ac istos huc advectos hospites, miseret tui, Pœantis fili.

NEOPT. At ego, quæ dicis, vera esse scio, testisque tibi esse possim, ut qui secundum te Atridarum et Ulyssis expertus sim improbitatem.

PHIL. Num et tu de sacerrimorum Atridarum aliqua injuria expostulas, ut læsus irascaris?

NEOPT. Iram utinam aliquando expleam manu, quo Mycenæ intelligant Spartaque, fortium virorum genetricem esse Scyron quoque!

PHIL. Euge, ô fili: sed quam habens in eos querelam tam graviter iratus huc advenisti?

NEOPT. O fili Pœantis, dicam, tametsi vix dicere queo, quibus illi me ad eos venientem contumeliis affecerunt. Nam postquam Achillem vis fati sustulit—

PHIL. Hei mihi! ne quod ultra verbum facias, priusquam didicero hoc primum, num occidit Pelei proles.

NEOPT. Occidit, neminis hominis, sed Dei, ut aiunt, manu, Phœbi percussus arcu.

PHIL. At generosus quidem peremptorque et peremptus. Dubius autem, ô fili, hæreo, primumne perconter causam querelæ tuæ, an illius vicem deplorem.

NEOPT. Tibi quidem arbitror satis esse, si tua ipsius deplores infortunia, aliorum ut missa facias.

PHIL. Recte sane dicis, quare de integro rursus rem tuam mihi narra, quibus te modis injuria affecerint.

NEOPT. Venere ad me picta vecti nave divus Ulysses, altorque mei patris, dicentes, verane an falsa nescio, haud fas esse, postquam periisset pater meus, alium quam me Trojanam arcem expugnare. Hæc illis dictitantibus, haud longa fui in mora, quin statim, hospes, conscensa nave, celerem contenderem cursum; idque maxime mortui patris desiderio, ut, quem nunquam videram, saltem, antequam tumulo conderetur, intuerer. Præterea et causa accedebat optima, laudum cupido, eo si profectus Trojæ turres everterem. Jamque naviganti mihi dies alter fulgebat, quum ad invisum Sigeum cursu secundo applicavi: atque statim egressum nave circumfusus omnis exercitus me salutavit, jurantes se redivivum Achillem cernere. At ille compositus jacebat. Ego vero infelix postquam eum aliquantisper deflevi, accedens Atridas ad amicos, ut par erat, armaque et alia quæcunque fuerant patris poposci. At eheu! responsum illi dede-

runt impudentissimum mihi: *O nate Achillis, cetera quidem licet tibi paterna sumere; armorum autem illorum potitur jam vir alius, Laërtæ filius.* Tum ego, lacrymis oculos suffusus, illico exsurgo ira percitus gravi, atque indignabundus, *Ergone,* inquam, *ô scelesti, eo processistis audaciæ, ut cuiquam arma mea traderetis, me non rogato?* Ad quæ Ulysses, qui forte ibi aderat, *Næ,* inquit, *adolescens, optimo hi jure dederunt ea mihi; namque ego præsens ea, corpusque ipsum servavi.* Atque ego animi impotens, statim probri quodcunque est ei ingessi, extrema omnia imprecatus, si mea ille arma eriperet mihi. Ille vero sic lacessitus, tametsi alias haud promptus est irasci, maledictis dolens, ita respondit: *Non eras, ubi nos; sed aberas ubi te non oportebat abesse: hæcque arma, quandoquidem ferociter loqueris, Scyron reportans nunquam navigabis.* His auditis probris, acceptisque injuriis, navigo domum, meis spoliatus a pessimo, pessimisque orto, Ulysse: quanquam non ejus crimen est, sed principum ipsorum. Civitas enim universa, simulque totus exercitus pendet ex principibus: qui vero flagitiose agunt homines, principum sermonibus edocti fiunt improbi. Rem totam dixi: qui vero Atridas odit, mihique pariter et Diis sit amicus!

CH. Montibus gaudens, nutrix omnium Rhea, mater ipsius Jovis, quæ magnum Pactolum auriferum colis, te illic quoque, veneranda mater, imploravi, quando in hunc Atridarum omnis injuria collata est, ubi, ô beata, tauricidis vecta leonibus, arma paterna, summum honoris insigne, tradidere præter fas Laërtis filio.

PHIL. Doloris argumentum, ut videtur, manifestum habentes, huc appulistis, hospites, mihique consentitis, quod arbitramini facinora ista esse Atridarum et Ulyssis. Hunc enim probe novi semper paratum quidvis falsi dicere, fraudemque omnem experiri, unde nihil non scelesti sit effecturus. Verum nihil id est mirum mihi; sed mirabor, si præsens ista cernens Ajax major passus sit.

NEOPT. Non erat in vivis amplius, ô hospes: nunquam enim illo vivente, eis spoliatus fuissem.

PHIL. Quid ais? an et ille mortem obiit?

NEOPT. Scito eum non amplius lucis adspectu frui.

PHIL. Væ mihi misero! At non morietur Tydei filius, nec Sisyphi proles empta Laërti? Hos enim non decebat vivere.

NEOPT. Non sane: hoc certo scias: sed et maxime nunc florent in Argivorum exercitu.

PHIL. Quid vero? Qui senex et strenuus erat, amicusque meus, Nestor Pylius, vivitne? hic enim facta eorum improba sapientibus consiliis cohibere solebat.

NEOPT. Misere nunc ille agit, postquam oppetiit mortem Antilochus, qui solus ei ex filiis aderat.

PHIL. Hei mihi! De duobus istis acerba memoras, quos ego minime vellem absumptos audire. Eheu, eheu! quonam obsecro respiciendum est, quando hi quidem periere, Ulysses vero superest adhuc in eo loco, ubi oportebat horum vice ipsum dici mortuum?

NEOPT. Astutus est ille luctator; sed vel callida consilia, ô Philocteta, labefactantur sæpe.

PHIL. Age dic obsecro, ubinam tum erat tibi Patroclus, qui patri tuo fuit in deliciis?

NEOPT. Et ille mortuus erat. Rem autem in pauca conferam: Bellum neminem hominem lubens perimit malum, sed optimos semper.

PHIL. Hujus rei testis tibi sum: hacque ipsa gratia de homine te rogabo nullius quidem pretii, sed lingua prompto et callido, quid nunc agat.

NEOPT. An quopiam de alio quam Ulysse rogas?

PHIL. Non hunc volui: sed Thersites erat quidam, qui sibi nunquam temperabat, quin plus semel diceret, quod ne semel quidem audire quisquam vellet. Scin' hunc an vivit adhuc?

NEOPT. Ipsum non vidi; sed audivi superstitem esse.

PHIL. Ita scilicet futurum erat, siquidem nihil unquam pravi interiit: sed id omni cura tutantur Dii: et si quis est malitiosus et fraudulentus, eum libenter prohibent ab Orco; qui autem justi et probi sunt, illos eo solent demittere. Quo sunt hæc censenda loco, quo nomine laudanda, si Deorum facta laudare aggressus, ipsos Deos malos deprehendo?

NEOPT. Equidem, ô patre Œtæo sate, in posterum dehinc Iliumque et Atridas procul intuens, ab iis mihi cavebo. Ubi enim deterior bono plus valet, peritque virtus, et ignavus rerum potitur, nunquam ego tales viros amavero. Sed saxosa Scyros suffecerit mihi posthac, ut me meæ domi oblectem. Nunc autem pergo ad navem. At tu, Pœantis fili, vale quam maxime, vale; et te Dii morbo liberent, ut ipse postulas. Nos autem abeamus, ut, ubi Deus nobis ventum concedet, illico vela in altum demus.

PHIL. Jamne, ô fili, a me disceditis?

NEOPT. Opportunitas enim monet, ut prope navem potius quam procul, ferentem observemus ventum.

PHIL. Per ego te patrem, perque matrem, ô fili, perque si quid tibi domi est carum, supplex nunc rogo, ne relinquas me solum adeo, malis in hisce desertum, quot quantisque colluctari me vides, atque audiisti: sed me tanquam accessionem navigationi tuæ recipe. Molestia quidem, sat scio, gravis erit hujus oneris: tamen sustine. Nempe generosis odio est quidvis turpe, et honestum decori. Tibi quidem prætermissum hoc officium grande feret dedecus; servatum vero, ô fili, te laude cumulabit maxima, si vivus ego venero ad Œtæam terram. Age, dies ærumna est haud unius integri: aude; abductum me quocunque voles injice, in sentinam, in proram, in puppim, ubi minime futurus sim convectoribus molestus. Adnue, per ipsum te Jovem obtestor vindicem supplicum; sine te exorem, ô fili. Advolvor genibus tuis, tametsi ego infelix infirmus sum et claudus: ne me relinquas, obsecro, desertum adeo, ubi hominum nulla sunt vestigia. Sed vel ad domum tuam vectum me sospita, vel ad Chalcodontis in Eubœa sedes; at inde non longa erit mihi ad Œtam navigatio, Trachiniumque jugum, et pulchre fluentem

Spercheum, quo patri me exhibeas meo, quem jamdudum metuo, ne mihi mortuus sit. Multa enim hinc solventibus mandata ad eum dedi, supplices mittens preces, ut ipse navi huc advectus domum me abduceret, liberaretque a malis. Sed vel fato functus est, vel quibus hæc commisi, ut fieri solet, opinor, ii me meaque parvi pendentes, domum redire properarunt. Nunc vero, ad te enim deductorem simul et nuntium venio, tu me serva, tu mei miserere, considerans, quam cuncta sint mortalibus timenda, quotque periculis obnoxia sit eorum conditio, ancepsque fortuna, modo læta, modo tristis. Oportet autem eum cui res secundæ sunt, acerba quævis respicere; et si quis laute vivit, tunc opes tueri maxime, ne imprudenti pereant.

CH. Miserere, ô rex; multos recensuit vix tolerabilium ærumnarum conflictus, quantis utinam nullus meorum amicorum urgeatur! si vero inimicos, ô rex, oderis Atridas, ego sane illorum damnum in hujus lucrum converterem, eumque, uti impense cupit, in instructa bene et celeri nave reducerem domum, Deorum vindictam effugiens.

NEOPT. Vide tu, ne nunc quidem facilior sis; ubi vero tædio morbi vinceris, tunc non amplius hisce dictis consentias.

CH. Minime: non est, ut hanc animi mutabilitatem exprobres mihi unquam merito.

NEOPT. At indecorum est mihi sane, minus promptum me videri quam te, ad opem ferendam hospiti in tempore. Proinde, si sic videtur, abnavigemus; veniat protinam. Quippe navi accipietur, nec repulsam feret: solummodo Dii dent nobis, ut incolumes hac terra egrediamur, eoque perveniamus, quo navigationem instituimus.

PHIL. O diem lætum plurimum! ô virum omnium suavissimum! ô amicos remiges! utinam vobis re ostendere possim, quam me hoc beneficio obstrictum habetis! Eamus, ô fili, salutata prius illa intus infausta habitatione, ut et cognoscas quibus subsidiis vitam toleraverim, quoque fuerim animi robore: horum enim ne adspectum quidem neminem alium præter me passurum fuisse arbitror; me vero mala boni consulere docuit dura necessitas.

CH. Resistite: discamus quid sit novi. Namque viri duo, alter navis tuæ socius, alter autem exterus, huc accedunt, quos quum audieritis, postea ingrediemini.

MERC. Achillis fili, socium tuum hunc, qui cum duobus aliis apud navem tuam stationem agebat, jussi mihi ubi locorum esses demonstrare, quandoquidem inscius imprudensque in te incidi, forte fortuna ad idem litus appulsus. Navigans enim, ut nauclerus, haud magno commeatu ab Ilio domum ad vini feracem Peparethum, ubi audivi nautas, qui huc appulerant, tuos esse omnes, visum est mihi haud tacite præternavigare, priusquam tibi quædam denuntiassem, consecutus aliquid, ut par est, præmii. Nihil forte nosti de iis quæ tua intersunt, quæ nova de te Achivis consilia sunt; nec consilia tantum verbis inita, sed dictis jam facta suppetunt, remque haud negligenter exsequuntur.

NEOPT. At tibi quidem, hospes, pro ea qua mihi prospicis benevolentia, condigna apud me, nisi improbus sim, reposita manebit gratia. Verumtamen quod dixti declara mihi, ut sciam quid novi consilii ab Argivis affers.

MERC. Abiere, qui te classe persequantur, Phœnixque senex et Thesei filii.

NEOPT. Vine, an verbis me abducturi?

MERC. Haud scio: quod audivi, ejus adsum tibi nuntius.

NEOPT. Istucne, quæso, tanto impetu animi aggrediuntur Atridarum gratia Phœnixque et qui una conscenderunt navem?

MERC. Hæc scito jam agi, nec amplius in agendis esse.

NEOPT. Qui vero Ulysses operam suam non ultro obtulit, nec paratus fuit navigare? numquis illum prohibuit metus?

MERC. At ille et Tydei filius ad alium virum proficiscebantur, quando solvebam e portu.

NEOPT. Quisnam ille sit, ad quem Ulysses ipse navigabat?

MERC. Sane erat aliquis. Sed huncce primum dic mihi, quis est. Quod dixeris vero, ne effer clare.

NEOPT. Hic est inclytus tibi Philoctetes, hospes.

MERC. Ergo ne plura me roges; sed quam ocissime solve navem, atque ex hac terra te abripe.

PHIL. Quid autumat, ô fili? cur me, obsecro, dictis tenebricosis prodit tibi hic navita?

NEOPT. Nondum intellexi quid sibi velit: oportet autem eum, quæ dicet, perspicue eloqui adversum me, et te, et hos quoque.

MERC. O nate Achillis, ne committas, quæso, ut Græcorum in offensionem incurram, quod tacenda dixerim: magnis enim lucris augeri soleo, ob officia quæ eis ego, quantum quidem potest homo pauper, præsto.

NEOPT. Ego sum Atridis infensus: hic autem vir amicus est mihi summus, quia Atridas odit. Proinde oportet te, qui amico ad me venisti animo, nihil nos eorum celare, quæ audiisti.

MERC. Vide quid agis, fili.

NEOPT. Jamdudum ego id vidi.

MERC. In te crimen omne transferam.

NEOPT. Esto; dic modo.

MERC. Dico. Duo illi, quos audiisti, viri, Tydei filius, visque Ulyssea, ad hunc navigant, ut qui jurati fidem suam obligarunt, se eum vel sermonibus persuasum, vel vi adducturos. Atque hæc Achivi omnes audiere Ulyssem aperte dicentem: ille enim plus fiduciæ habebat altero, se hæc effecturum.

NEOPT. Quanam vero gratia post tam longum tempus Atridæ tantam hujus curam gerunt, quem dudum ejecere? Quæ hos cupido incessit, aut vis ultioque Deorum, qui sceleste factorum pœnas exigunt?

MERC. Istud tibi ego, forte enim haud inaudisti, omne expediam. Vates erat quidam claro sanguine genitus, Priami quidem filius, nomine vero Helenus appellabatur; quem noctu egressus solus, qui ubique pessime audit, probrisque oneratur

omnibus, versutus ille Ulysses cepit, vinctumque in medios Achivos agens, cunctis opimam prædam monstravit. Is inquam et alia omnia illis vaticinatus est, hocque inprimis, Trojæ turres nunquam eos diruturos, nisi hunc persuasum abducant ab hac insula, in qua nunc habitat. Atque hoc simul ac vatem dicentem audivit Laërtæ filius, statim recepit, virum hunc adductum Achivis se exhibiturum, idque, ut maxime opinabatur, volentem, sin renueret, invitum; hæcque si non daret effecta, caput suum cuilibet amputandum permittebat. Audiisti, nate, omnia: propere autem abire et te ipsum moneo, et si quis alius tibi curæ est.

PHIL. Hei mihi misero! Illene, mera labes, me ad Achivos juravit persuasum se abducturum? Nempe sic persuadebor, ut ab inferis mortuus ad lucem redeam, quemadmodum illius pater.

MERC. Ista equidem nescio; sed pergo ad navem: vobis autem optima conferat Deus!

PHIL. Nonne hoc, ô fili, acerbum est, Laërtis filium sperare, fore unquam ut me dictis mollibus delinitum abducat nave, et mediis in Achivis ostendat? Haud sane fiet. Facilius invisissimæ mihi auscultarem excetræ, quæ me ita claudum reddidit. Sed nullum est nefas, quod ille indictum vel infectum velit: nuncque, satis scio, veniet. Verum, ô fili, abeamus, ut nos plurimum pelagi ab Ulyssis nave disterminet. Eamus: quippe opportuna festinatio, labore exhausto, somnum et quietem adducere solet.

NEOPT. Itaque quum ventus in proram spirans remittet, solvemus navem: nunc enim adversus est.

PHIL. Quilibet ventus secundus est, quum fugias mala.

NEOPT. Nil metuas; et hæc illis contraria sunt flamina.

PHIL. Nullus prædonibus flatus est contrarius, si furto aut vi quidquam auferre detur.

NEOPT. Age ergo, si placet, eamus, quum primum intus sumpseris quibus tibi maxime usus est, quæque optas magis.

PHIL. Enimvero sunt quibus opus est, admodum ex paucis licet.

NEOPT. Quid illud est, quod navis mea tibi non suppeditet?

PHIL. Est mihi quædam herba, qua soleo maxime mulcere hoc ulcus, ita ut valde mitigetur dolor.

NEOPT. Age effer illam. Numquid et aliud assumere cupis?

PHIL. Videbo numquid forte mihi harum sagittarum neglectum exciderit, ne cui auferendum relinquam.

NEOPT. Estne ergo nobilis ille arcus, quem nunc habes?

PHIL. Hic ipse, non enim alius est, quem manibus gero.

NEOPT. Fasne est mihi eum contemplari prope, et gestare, atque osculari tanquam Deum?

PHIL. Tibi quidem, ô nate, et hoc continget, et mearum rerum quodcunque aliud tibi erit commodum.

NEOPT. Equidem cupio: sed ita temperata est cupido: si fas mihi sit, velim; sin minus, omitte.

PHIL. Et pie loqueris, et fas tibi est, qui solis hoc jubar

adspicere solus mihi dedisti, qui terram Œtæam videre, qui patrem senem, qui amicos, qui inimicorum subjectum pedibus me superiorem iis reddidisti. Confide; licebit tibi hunc arcum tractare, et danti reddere, et gloriari, quod solus mortalium virtutis ergo illum attrectaveris. Beneficio enim meo ipse eum comparavi: proinde haud mihi grave est, amicum te meum, illum inspicere et contrectare. Qui enim beneficiis vicem reddere novit, quibusvis opibus præstantior amicus fuerit.

NEOPT. Ingredere.

PHIL. Et te introducam. Vis enim morbi adjutorem te postulat.

CH. Fando quidem audivi, haud vidi tamen, ut Jovis insidiatum thalamis Ixionem ceperit olim, et rotæ adstrinxerit volventi, omnipotens Saturni filius; alium vero neminem audivi, nec vidi mortalium, qui in tristius fatum inciderit, quam hic, qui nihil cuiquam male fecit, nec quemquam suo fraudavit, sed justitiam colens cum justis semper, tam indignis periit modis. Hoc demiror, quo pacto tandem, quo pacto, fluctuum undique allisorum sonitum audiens, ita solus lacrymosam egerit vitam, ubi ipsemet sibi erat accola, lapsantem vix promovens gradum, neque incolam loci ullum, infortunii sui affinem habens, qui gemitus exciperet deplorantis graves edacis sanguinei ulceris dolores: nec qui fervidum sanguinem ex ulceribus læsi venenato morsu pedis scatentem lenibus herbis sisteret, si quibus forte incidisset, quas ex terra altrice carperet. Alias enim alio se confert, quando remittit fera lues morbi, repens, velut infans quem cara destituit nutrix, quo facili perveniat via: non almæ telluris fruges pro alimento capiens, nec aliud quidquam eorum quibus vescimur homines industrii, nisi siquando certo directis arcu alatis sagittis ventri cibum expedit. O infelicem animam! quem toto decennio non delectavit vini potus, sed stagnantem aquam, si quam alicubi nosset, spectans, ad eam semper se admovebat. Nunc autem fortium virorum nactus filium, feliciter in posterum aget, magnusque ex illis malis evadet; qui illum pontigrada nave post multos menses revehet ad patriam domum Meliadum Nympharum, Sperchei que ad ripas, ubi vir bellicosus Deorum accessit cœtui, sacro igne combustus summis in Œtæ jugis.

NEOPT. Prodi, si vis: quid tandem ita nulla de causa siles, et sic attonitus stupes?

PHIL. Ah, ah, ah, ah!

NEOPT. Quid est?

PHIL. Nihil grave. Sed perge, ô fili.

NEOPT. Num te dolor incessit ex præsenti morbo?

PHIL. Haud sane: sed jam, ut videtur, remittit. O Dii!

NEOPT. Quid ita gemens Deos invocas?

PHIL. Ut servatores propitiique nobis veniant. Ah, ah, ah, ah!

NEOPT. Quid accidit tibi? non dices? sed sic tacitus silebis? Videris enim in malo quopiam esse.

PHIL. Disperii, ô fili, nec potis ero malum hoc apud vos celare. Attate! penetrat, penetrat. Infelix, ô miser ego! Dis-

perii, nate, discerpor edaci morbo. Papæ, papæ! Per ego te Deos obtestor, fili, si quis tibi in promptu gladius est, ferito summum pedem, amputa quam celerrime, vitæ ne parcito: age, rogo, ô fili.

NEOPT. Quid adeo novi derepente accidit, cujus gratia tantos ejulatus totque gemitus cies?

PHIL. Scis, ô nate?

NEOPT. Quid est?

PHIL. Scis, ô fili?

NEOPT. Quid est tibi?

PHIL. Haud equidem scio.

NEOPT. Et quî nescias?

PHIL. Papæ, papæ!

NEOPT. Terribilem in modum aggravescit hic morbus.

PHIL. Terribilem sane, et ineffabilem. Sed misereat te mei.

NEOPT. Quid ergo faciam?

PHIL. Ne me formidine prodas. Lues enim illa vices alternat, atque ex intervallo redit, postquam forte ad satietatem evagata est. Eheu!

NEOPT. O miser nimis! eheu, eheu! miser profecto, omnibus laboribus exercite, vin' te prehendam, atque contingam manu?

PHIL. Ne istuc, obsecro: sed hunc cape mihi arcum, ut dudum me rogabas, eumque tene et custodi, donec remiserit instans vis morbi. Corripit enim me somnus, simul ac abscedit hoc malum; nec potis sum eo prius defungi: sed necesse est, ut me sinas tranquillum dormire. Interea vero si venerint illi, per Deos te obtestor, tibique mando, ne sponte, nec ingratiis, nec quocunque demum pacto, illis arma ista permittas, ne te ipsum simul interimas, meque, qui supplex tuus sum.

NEOPT. Bono animo es: præcautum et provisum hoc erit mihi. Nemini dabuntur præterquam tibi et mihi: proinde, quod bene vertat, mihi illa porrige.

PHIL. En, adolescens, accipe: Invidiam autem propitia, ne tibi sint laboriosa, ærumnasque ferant, quales et mihi, et illi qui ea ante me habuit.

NEOPT. O Dii, eveniant hæc nobis, contingatque secunda et expedita navigatio, quocunque Deus æquum censet, et quo tendimus!

PHIL. At vero metuo, ne irritum sit hoc votum, fili. Manat enim rursus mihi ater cruor ex intimo scatens ulcere, atque aliquid exspecto mali. Papæ, heu! Papæ iterum. O pes, quanto me cruciabis dolore! Proserpit, accedit lues propius. Hei mihi misero! Rem omnem manifestam videtis: ne, quæso, aufugite. Attate! O Cephallen hospes, utinam hic dolor pectus tuum penetrans intimis hæreat præcordiis! hei mihi! papæ! iterumque iterumque papæ! O gemini duces exercitus, Agamemnon, ô Menelae, utinam vicem meam tam longo tempore aleretis hunc morbum! hei mihi, mihi! O Mors, Mors, quî toties adeo vocata cotidie, haud potes unquam venire? O fili, ô

generose, age, subveni mihi; Lemnio hoc, qui sursum volvitur, igne combure me, ô generose. Sane equidem ipsum hoc officium, hisce pro armis, quæ tu nunc servas, haud recusavi olim Jovis filio præstare. Quid dicis, fili, quid dicis? quid taces? Ubi gentium es, ô nate?

NEOPT. Doleo jamdudum, tua gemens mala.

PHIL. Atqui, ô fili, bonum habe animum. Quippe hic morbus accedit acutus, abitque citus. Sed obsecro te, ne me derelinquas solum.

NEOPT. Confide, manebimus.

PHIL. Certone manebis?

NEOPT. Id liquido scias.

PHIL. Haud sane fas esse credam jurejurando te obligare ô fili.

NEOPT. Siquidem haud mihi fas est sine te abire.

PHIL. Cedo dextram, fidei testem.

NEOPT. En porrigo, et manere spondeo.

PHIL. Illuc me nunc, illuc—

NEOPT. Quorsum ais?

PHIL. Sursum—

NEOPT. Quid deliras iterum? Quid superum contueris orbem?

PHIL. Mitte me, mitte me.

NEOPT. Quo mittam?

PHIL. Mitte tandem.

NEOPT. Haud sane te missum faciam.

PHIL. Enecabis, si me attigeris.

NEOPT. Jam vero te amitto. Numquid, quæso, rectius sapis?

PHIL. O terra, moribundum me, uti sum, suscipe. Malum enim hoc erigi me non amplius sinit.

NEOPT. Hunc virum sopor mox occupaturus videtur. Ecce enim caput reclinatur, manat sudor totum per corpus, nigraque extremo in pede dirupta vena sanguinem erumpit. Sed tranquillum, amici, sinamus eum, ut in somnum incidat.

CH. Somne doloris expers, expers ærumnarum, leniter adspirans nobis venias, rex ô qui placidam vitam facis; et ab oculis arceas splendorem hunc solis qui nunc diffunditur; age veni, medice Somne. Tu vero, ô fili, vide ubi consistas, quove te vertas, et quî mihi aggrediare quod procurandum superest. Utique jam vides: cur cunctamur longius? Quippe omni in re occasio optime consulit, celeriterque arrepta magnam e vestigio potentiam obtinet.

NEOPT. Hic quidem nihil audit: verum satis ego intelligo frustra nos hac telorum præda potitos fore, si sine hoc viro abeamus. Hunc enim decus omne manet, hunc Deus adducere jussit. Turpe autem opprobrium est vanis promissis jactare, quæ non effecturus sis.

CH. Verum hæc quidem, nate, Deus viderit: quæ autem mihi respondebis, submissa voce fare, ô fili. Quippe ægrotantis haud liquidus somnus omnia facile persentiscit. Sed quam potes

diligentissime, hoc mihi, hoc occulte dispice, quid facere cogites. Scis enim quem loquor; si cum illo sentis, prudentibus maxime datum perspicere, quo se pacto ex difficultatibus extricent. Sane ventus adspirat secundus: vir hic nihil cernit, ope destitutus omni, tenebris mersus, porrectus jacet. Commodus est nobis somnus omni timore vacuus, nec manus, nec pedis, nec alius rei permittens usum: sed, viden'? haud absimilis est homini mortuo. Quæ tempori conveniant jube: negotium hoc, ô fili, mea solertia confici potest: labor absque metu optimus.

NEOPT. Tacere te jubeo, et præcavere tibi: motat enim hic vir oculos, erigitque caput.

PHIL. O lux somni vices excipiens, ô spem fidemque superans hospitum horum custodia! nunquam enim, ô nate, mihi persuasissem te animo adeo forti et misericordi calamitates meas perlaturum, adsistentem mihi, opemque ferentem. Haud sane Atridæ, boni illi duces, eas tam facile tolerare sustinuerunt. Sed tu, ô fili, quippe qui generosa es indole, et ex generosis prognatus, omnia hæc levia duxisti, licet oppletus clamoribus meis, ulcerisque fœtore. Et nunc, quando hujus mali videtur aliqua esse oblivio et requies, fili, tu me ipse tolle, tu me in pedes statue, fili, ut, quum languor desierit, eamus ad navem, nec in mora profectioni simus.

NEOPT. Gaudeo equidem quod præter spem te intueor dolore vacuum, videntem et spirantem adhuc. Pro ea enim qua premebaris calamitate, et signis quæ tui dabas, haud superstes futurus videbaris. Nunc ergo temet erige; aut si tibi magis placet, portabunt te isti: hunc enim laborem non recusabunt, quando tibi mihique ita visum est facere.

PHIL. Gratia est, ô fili, atque erige me, ut cogitas: hos vero missos fac, ne, antequam necesse sit, tetro graventur odore; satis enim illis molestum erit convectorem me habere.

NEOPT. Fiet; sed consiste, et firmiter mihi adhære.

PHIL. Bono animo es, solito me meo more erigam.

NEOPT. Papæ! Quid nunc porro agam?

PHIL. Quidnam est, ô fili? quonam tibi evagatur sermo?

NEOPT. Dubius hæsito, qui rem infandam incipiam loqui.

PHIL. Tune dubius hæsitas? ne istud dicas, nate.

NEOPT. At nunc hoc ipso laboro incommodo.

PHIL. Non te, quæso, morbi difficultas mei permovit adeo, ut me amplius nolis vectorem abducere?

NEOPT. Omnia difficilia, quotiescunque indole sua quisquam relicta, moribus suis indignum aliquid inceptat.

PHIL. At nihil patre indignum tuo tu quidem facis, neque dicis, in bonum virum beneficium conferens.

NEOPT. Turpem subibo notam: hoc me jamdudum macerat.

PHIL. Non sane ob ea quæ facis: ob ea vero quæ loqueris, ambigo.

NEOPT. O Jupiter, quid agam? Iterumne deprehendar improbus, celando quæ celare nefas, turpissimaque loquendo mendacia?

PHIL. Vir hic, nisi me animus fallit, proditurus me videtur, meque hîc relicto, soluturus navem.

NEOPT. Haud equidem te relicto; sed ne cum dolore tuo te abducam, hic me dudum angit metus.

PHIL. Quid tibi vis, ô fili, obsecro? verba tua non intel-ligo.

NEOPT. Nihil te celabo: oportet enim ad Trojam te navi-gare ad Achivos, et Atridarum classem.

PHIL. Hei mihi! quid dixisti?

NEOPT. Ne ingemisce, priusquam rem didiceris.

PHIL. Quid discam? Quid mihi facere tandem paras?

NEOPT. Primum quidem te ab his ærumnis liberare, tu profectus tecum Trojæ campos devastare.

PHIL. Et ista serio facere cogitas?

NEOPT. Ita est prorsus necesse; quare hæc audiens par irasci.

PHIL. Perii miser, proditus sum. Quas mihi, hospes, ins dias strujs? redde mihi quamprimum arcum et sagittas.

NEOPT. At non licet: magistratibus enim auscultare et f me cogit et utilitas.

PHIL. O ignis tu, et terror merus, pessimarumque astuti rum artifex invisissime, qualia mihi fecisti! quibus me lusis dolis! Non te dispudet me intueri, qui ad genua tua provolutu, supplex tuus factus sum, ô improbe? abstulisti mihi victu, erepto arcu. Redde, obsecro te, redde, quæso, fili: per De patrios oro, victum ne mihi auferas. Hei mihi misero! At quidem amplius me alloquitur, sed, ut arma nunquam amissuru, avertit vultum. O portus, ô prominentes scopuli, ô montanaru ferarum contubernia, ô præruptæ rupes, vobis hæc queror; ne-minem enim alium novi, cui loquar: apud vos præsentes con-suetosque mihi deploro, qualia in me facinora designavit Achillis filius: juratus se abducturum me domum, ad Trojam me abdu-cit: arcusque meos, sacra divi Herculis arma, quos dextræ data fide accepit, nunc detinet, atque Argivis vult ostentare: tanquam si validum cepisset virum, vi me abducit, nec scit jam mortuum se interficere, aut fumi captare umbram, vanam imaginem. Non enim me cepisset, si mihi vires integræ fuissent, quando ne sic quidem affectum capere potuit, nisi dolo. Nunc autem fraude deceptus sum miser. Quid agam? At redde, quæso: nunc demum ad indolem tuam redi. Quid ais? taces? Occidi infelix. O gemina patens fore rupes, rursus te subibo inermis, cibo ca-rens: verum extabescam hoc in antro solus, nec præpetem pen-nis avem, nec monticolam feram sagittis hisce configens: sed ipse miser mortuus præbebo escam iis a quibus pascebar modo; et me, quas antea venabar, jam venabuntur feræ; cædisque pœnas cæde luam miser mea, istius opera, quem putabam nihil nosse mali. Pereas nondum, antequam scivero an sententiam mutaturus sis: sin minus, pereas male.

CH, Quid facimus, ô rex? utique penes te est, utrum jam navigemus, an hujus viri precibus adnuamus.

NEOPT. Me quidem jam pridem incessit magna hujus viri miseratio.

PHIL. Miserere mei, ô nate, per Deos obsecro, nec committas, ut te homines probris differant, quod me deceperis.

NEOPT. Hei mihi! Quid faciam? utinam nunquam reliquissem Scyrum, ita his rebus angor!

PHIL. Non tu quidem ingenio es malo; sed a malis viris turpia doctus videris huc venisse. Nunc vero quibus par est, aliis imperti, mihique mea redde arma, tum hinc abi.

NEOPT. Quid agam, ô viri? (*hoc dicens arcum Philoctetæ porrigit.*)

ULYS. O pessime omnium, quid agis? non abibis, relicto mihi hoc arcu?

PHIL. Hei mihi! Quis hic vir? Numnam Ulyssem audio?

ULYS. Ulyssem, certo scias, me quidem, quem coram vides.

PHIL. Hei mihi! venditus sum, disperii. Hic fuit ergo, qui me cepit, et spoliavit armis.

ULYS. Ipse ego, certo scias, non alius. Ista confiteor lubens.

PHIL. Redde mihi, ô fili, amitte mea arma.

ULYS. Hoc quidem, etiamsi velit maxime, faciet nunquam; sed et te oportet una cum armis abire, aut transvehent tè isti ingratiis tuis.

PHIL. Mene, ô malorum pessime atque audacissime, nolentem hi abducent?

ULYS. Nisi volens iveris.

PHIL. O Lemnia tellus, jubarque omnia domans, Vulcani editum numine, istane, quæso, tolerabilia sunt, si me hic ex tuo sinu vi abducet?

ULYS. Jupiter est, ne nescias, Jupiter hujus dominator terræ, Jupiter, cui hoc decretum est: ego autem jussa capesso.

PHIL. O odium, qualia commentus es dicta? Deos prætexens, Deos mendacii auctores facis.

ULYS. Minime: immo enimvero veraces: adeoque hoc iter ineundum est tibi.

PHIL. Hoc equidem pernego.

ULYS. Aio vero ego: oportet te parere.

PHIL. Hei mihi misero! non ergo liberum genuit me pater, sed servum plane.

ULYS. Neutiquam: verum fortissimis parem, quibuscum Troja tibi capienda est, et vi subruenda.

PHIL. Nunquam fiet, ne pati quidem si oporteat me quodcunque est mihi, quamdiu mihi stabit hujus insulæ excelsum solum.

ULYS. Quid ergo facere paras?

PHIL. Caput hoc meum illico scopulis illisum cruentabo, summa de rupe præcipitem me dans.

ULYS. Comprehendite illum: ne penes eum sit, quod minatur, agere.

PHIL. O manus, qualia patimini, vestro destitutæ arcu, hoc a viro constrictæ! O qui nihil sanum nec liberale sapis, qua me

fraude circumvenisti! ut me venatus es, dolis tuis prætendens hunc adolescentem incognitum mihi, te quidem indignum, me autem dignissimum, qui nihil noverat, præter mandata exsequi! Nunc vero doloris manifesta signa vultu ostendit, pigetque eum nefarii facti, et malorum quibus me implicuit: sed mens tua improba, per latebras semper prospectans, simplicem illum nolentemque bene erudiit tamen in malis esse callidum. Et nunc me, ô perdite, colligatum cogitas abducere ab hac ora, in qua me projecisti amicis orbum, desertum, exsulem, inter vivos mortuum. Vah! pereas male: et tibi hoc sæpe imprecatus sum: sed frustra: nam nihil mihi jucundum Dii tribuunt. Tu quidem lætus vivis; ego vero misere crucior ob hoc ipsum, quod compluribus in malis vivo miser, irrisus a te, et geminis Atridis ducibus, quibus tu ad hæc famularis. Atqui tu quidem dolo captus et necessitate adactus, navigasti una cum illis: me vero miserrimum, qui sponte navigaveram septem navium classe, inhonoratum ejecere, ut tu ais; ipsi vero te facti auctorem prædicant. Et nunc cur me ducitis? cur me abducitis? qua gratia? qui nullus sum, vobisque jampridem interii. Quî ô Diis invisissime, non sum etiamnum tibi claudus, fœtidus? Quî vobis fas erit amplius, si in castra advectus fuero, Diis adolere honores? quî pateris altaria libare? Namque hic erat tibi prætextus, ut me classe ejiceres. Male pereatis. Peribitis vero, qui me injuria affecistis, si quæ Deis justitiæ cura est. Est autem, pulchre id novi. Alioquin iter hoc nunquam suscepissetis gratia mea, miseri adeo hominis, nisi vos impulisset stimulus quispiam divinus. Sed ô patria terra, quique res hominum inspicitis Dii, ulciscimini, ulciscimini saltem aliquando, simul omnes istos, si quid mei miseremini, qui miserabilem vitam ago: si vero mihi contigerit hos perditos videre, tum me putaverim morbo defunctum.

CH. Vehemens hic hospes, Ulysse, vehementemque sermonem edidit, ut qui non cedat malis.

ULYS. Multa hujus sermoni referre possem, si commodum esset; nunc brevi defungar responso. Nempe ubi hujusmodi artibus usus est, talis sum ego: ubi vero judicium fit de justis bonisque viris, magis pium me neminem facile inveneris. Attamen ita me comparo, ubique vincere velle, nisi si tecum certem: itaque nunc tibi cedam lubens. Dimittite ergo illum, neque attingatis amplius: sinite eum hîc manere. Ne quidem tui indigemus, armis his potiti; quandoquidem nobis adest Teucer, hujus artis callidus, egoque, qui me puto deterius nihilo quam tu hæc tractare posse, et dirigere manu. Quid ergo te opus est? Quin vale et Lemnum incole. Nos vero abeamus: et tuum fortasse præmium honorem mihi pepererit, qui tibi destinatus erat.

PHIL. Hei mihi! quid faciam? tune meis armis ornatus inter Argivos videberis?

ULYS. Nihil mihi quidquam ultra responde, ut abeunti jam.

PHIL. O nate Achillis, nonne ergo amplius me solabitur vocis tuæ alloquium, sed ita silentio abibis?

ULYS. Discede tu, nec illum respice, generosus sis licet, ne nostram fortunam corrumpas.

PHIL. An et a vobis quoque, hospites, ita desertus, jam relinquar, nec vos miserebit mei?

CH. Hic adolescens nostræ navis imperium obtinet: quæcunque ille loquatur tibi, eadem tibi nos quoque dicimus.

NEOPT. Utique hic me criminabitur mollis esse animi et misericordia pleni: tamen manete, si ita visum est isti, tantisper, donec nautica instrumenta componant navitæ, et Diis vota faciamus. Forte ille interibi sententiam in melius mutabit nobis. Nos igitur duo jam abimus: vos autem, simul ac vocabimus, adeste citi.

PHIL. O cavæ rupis domicilium, calidum idem et frigidum, te ergo nunquam relicturus eram, ô miser! sed mihi etiam morienti commodum te præbebis. Hei mihi bis terque! O ærumnarum mearum plenissimum infelix antrum, quis erit mihi quotidianus victus? quem demum nanciscar altorem miser? undenam spes aliqua affulgeat mihi? Utinam acutis stridentes clangoribus marinæ Harpyïæ sublimem me per æthera abripiant! non enim amplius durare possum.

CH. Tu quidem ipse tibi calamitatem hanc conscivisti, ô miserrime, nec aliunde a potentiore quoquam huic fato implicaris. Quum enim sapienter tibi consulere posses, sorti meliori pejorem prætulisti.

PHIL. O ter quaterque miserum me, gravissimisque ærumnis confectum, qui ab omni dehinc hominum consortio segregatus, solus hîc habitans miser peribo, hei, hei! cibo carens prorsus, nec victum amplius mihi comparans alatis sagittis valida directis manu: sed me improvisa occultaque dicta fraudulentæ mentis fefellere. Utinam illum, qui hæc machinatus est, tanto tempore videam meorum compotem dolorum!

CH. Numen Deorum in hanc te calamitatem invexit, non dolus mea manu structus. Diras infaustasque tuas exsecrationes verte in alios. Hoc etenim curæ mihi est, ne benevolentiam abjicias meam.

PHIL. Hei mihi! nunc alicubi cano maris in litore sedens ridet me, manu quatiens meum miseri altorem arcum, quem nemo gestavit unquam. O amice arcus, ô amicis extorte manibus, nimirum miseritudinem præ te fers, si qua tibi mens est, quum videas ærumnosum Herculis successorem te non usurum posthac; sed mutato domino versuti viri manibus tracteris, turpes cernens fraudes, tristificumque et invisum cernens virum, turpia ex turpibus edentem infinita, quanta in me machinatus est mala Ulysses.

CH. Boni quidem viri est, quæ justa sunt, aperte profari, et quum dixerit alius, non petulanti lingua invidiosum animi dolorem exprimere. Ille vero unus ab omni exercitu constitutus, hujus consilio usus communem tulit sociis opem.

PHIL. O venatus alitum, indomitarumque sæcla ferarum, quas hæc alit regio monticolas, si quando e lustris prodibitis, non

amplius pavidæ ad me accedite; non enim manibus habeo pristinum illud telorum auxilium; ô ego nunc infelix! sed liber hic locus, præsidio vacuus omni, nec amplius metuendus vobis. Accedite: nunc commodum cædes ulcisci, vicissimque ora vestra saturare carne mea livida: nam vitam relinquam actutum. Unde enim erit mihi victus? Quis ita aura vescitur, quum nihil quidquam habeat eorum quæ producit altrix terra?

CH. Per Deos oro, si revereris hospitem qui ad te accessit, accedito tu quoque ad eum omni cum benevolentia. Hoc saltem scias, fas tibi esse hac lue liberari. Miserabile est enim illam alere, nec qui cum illa conflictatur, usu edoceri potest, quo pacto infinitam toleret ærumnam.

PHIL. Rursum, ah rursum veterem animo renovas dolorem, [illegible], ô hospitum, qui unquam huc appulere, optime: cur me enecas? quid me facis?

CH. Quid est quod dixisti?

PHIL. Si speras fore, ut ad invisam Troïcam terram me ducas.

CH. Hoc enim optimum esse intelligo.

PHIL. Protinam ergo relinquite me.

CH. Gratam mihi, gratam rem mandas, quamque lubens exsequar. Eamus, eamus ad navem, quo jussi sumus.

PHIL. Ne, per Jovem obsecro dirarum vindicem, ne abeas.

CH. Moderationem adhibe.

PHIL. O hospites, manete, per Deos oro.

CH. Quid clamas?

PHIL. Hei, hei! O sortem meam acerbam! perii proh miser! O pes, pes, quid te faciam posthac in vita miser? revertimini, quæso, ad me, hospites.

CH. Quid facturi diversa sententia præter ea, a quibus [illegible] ostendisti—

PHIL. Venia dignus est, si quis spe desperata pressus dolorum tempestate delira etiam loquatur.

CH. Procede ergo, ô miser, ut te jubemus.

PHIL. Nunquam, nunquam, pro certo hoc habe, ne si [illegible] ignifer tonans fulminis radiis ambusturus sit. Pereat Ilium, quique illud obsident, quotquot sustinuerunt meum pedem procul amovere. At, ô hospites, unum mihi, unum saltem mihi votum concedite.

CH. Quidnam istud erit?

PHIL. Gladius si quis vobis, aut ascia, telive quid aliud genus, afferte mihi.

CH. Quodnam tibi inde, quæso, commenturus es subsidium?

PHIL. Caput mihi pedemque demetam. Mortem enim, mortem mens demum expetit.

CH. Quid ita?

PHIL. Patrem quærens meum.

CH. Ubi terrarum?

PHIL. Apud Orcum: non enim amplius hac luce fruitur.

O urbs, ô urbs patria, utinam te intueri mihi detur homini infelici, qui desertis sacris tuis fontibus, invisis Danais auxilio profectus sum, nuncque demum oppido perii!

CH. Equidem jamdudum ad navem meam abiissem tua gratia, nisi prope incedere Ulyssem, unaque Achillis filium ad nos venire cernerem.

ULYS. Nonne dices quo tendis iter, tanto studio tamque celeri gressu viam retrorsum relegens?

NEOPT. Dissoluturus quæ peccavi antehac.

ULYS. Mira prædicas: peccatum vero quodnam est illud?

NEOPT. Quod nempe tibi universoque exercitui morem gerens admisi—

ULYS. Quid fecisti, quod te deceat minus?

NEOPT. Turpibus fallaciis dolisque fortem virum decipiens.

ULYS. Quemnam virum? hei mihi! numquid inceptas novi?

NEOPT. Novi quidem nihil: sed Pœantis filio—

ULYS. Quid rei facturus es? quam me incessit metus!

NEOPT. A quo accepi hunc arcum, rursus—

ULYS. Proh Jupiter! quid dicturus es? Num, quæso, reddere cogitas?

NEOPT. Utique: turpiter enim et injuste eum cepi.

ULYS. Per Deos, num istuc cavillans dicis?

NEOPT. Si vera dicere cavillatio est.

ULYS. Quid ais, Achillis fili? quid dixisti obsecro?

NEOPT. Eademne bis terque vis me iterare verba?

ULYS. Omnino ne semel quidem audiisse vellem.

NEOPT. Certo scias igitur: rem omnem tenes.

ULYS. Est aliquis, est qui te prohibebit hoc facere.

NEOPT. Quid ais? Quis est, qui me hoc facere prohibebit?

ULYS. Universus Achivorum exercitus, interque hos ego.

NEOPT. Sapiens licet sis, nihil tamen sapienter loqueris.

ULYS. At tu nec loqueris, nec sapienter agere paras.

NEOPT. At si justa sunt quæ ago, sapientibus sunt præstantiora.

ULYS. Et quomodo justum sit, quæ consiliis meis adeptus es, ea restituere?

NEOPT. Turpe quod admisi peccatum, emendare conabor.

ULYS. Nec ista faciens Achivorum exercitum times?

NEOPT. Quum justa faciam, non est ut timorem mihi incutias: neque adeo inducar, ut te, quod jubes, facere sinam.

ULYS. Non ergo cum Trojanis, sed tecum pugnabimus.

NEOPT. Esto, quidquid futurum est.

ULYS. Dextramne vides gladii capulo appositam?

NEOPT. Atqui me quoque idem facientem videbis; nec mora ulla est.

ULYS. Verum te sinam; totique exercitui dicam hæc, quum venero, cui meritas pœnas dabis.

NEOPT. Sapis, eodemque modo si sapere perrexeris, fortasse

ætatem ages absque fletibus. At tu, ô Pœantis fili, Philoctetem dico, prodi foras, relicto hoc saxeo tecto.

PHIL. Quis iterum clamor et tumultus oritur meum apud antrum? quid me evocatis? quid vultis hospites? hei mihi! mala hæc res. Num adestis, ut ad priora mea mala majus addatis malum?

NEOPT. Confide, audique verba, quæ affero.

PHIL. Metuo equidem: namque antea verbis pulchris adductus incidi in malum, tuis persuasus sermonibus.

NEOPT. Nonne ergo licet sententiam mutare?

PHIL. Tam blando sermone utebaris, quum mihi dolo arcum subducebas, palam fidus, clam noxius.

NEOPT. Sed nunc non idem ego: verum ex te audire volo, ùtrum decretum sit tibi hîc manenti perdurare, an nobiscum navigare?

PHIL. Desine, ne quid amplius dicas. Quæcunque enim dixeris, frustra dicentur.

NEOPT. Siccine est sententia?

PHIL. Sic; firmioremque esse scito, quam dicere queam.

NEOPT. Atqui dictis te meis persuaderi quidem cupiebam: verum si nihil opportunum loquor, desino.

PHIL. Recte facis; nam nihil non frustra dixeris. Quippe benevolum tibi nunquam animum experieris meum, qui me victu meo dolis intercepto privasti, et postea moniturus me venis, optimi patris proles inimicissima. Pereatis, Atridæ quidem primum, deinde vero Laërtis filius, et tu!

NEOPT. Ne impreceris ultra, sed manu ex mea accipe hæc arma.

PHIL. Quid dicis? Num rursus tentamur dolis?

NEOPT. Adjuro sancti numen summum Jovis.

PHIL. O qui gratissima mihi dicis, si modo dicis vera!

NEOPT. Res ipsa manifesta erit: age, dextram protende, et tua tibi cape arma.

ULYS. Ego vero veto, Dii sunt testes, Atridarumque et totius exercitus nomine.

PHIL. O fili, cuja vox? Num Ulyssem audivi?

ULYS. Certa rès est, et prope quidem me vides, qui te ad Trojæ campos abducam ingratiis tuis, velit nolitve Achillis filius.

PHIL. At non impune, modo hoc non aberret telum.

NEOPT. Ah! nequaquam; ne, per Deos, dimitte sagittam.

PHIL. Sine meam manum, per Deos obsecro, carissime fili.

NEOPT. Non sinam.

PHIL. Vah! cur virum infestum atque inimicum prohibes me occidere sagittis meis?

NEOPT. At neque mihi honestum est hoc, neque tibi.

PHIL. Verum hoc saltem scito, principes illos Achivorum exercitus, nihil aliud quam vanitatis præcones esse, ignavos ad pugnam, lingua autem feroces.

NEOPT. Esto: tu nunc quidem arcum habes, nec est cur mihi succenseas, aut me crimineris amplius.

PHIL. Fateor. Tu vero, ô fili, ostendisti qua sis cretus origine, non Sisypho patre, sed Achille, qui et inter vivos, quamdiu superstes fuit, audiebat optime, nuncque inter mortuos audit.

NEOPT. Gaudeo patremque meum a te laudari, ipsumque me; quæ vero a te consequi cupiam, accipe. Quæ quidem Deorum numine accidunt hominibus calamitates, eas ferre necessè est: quicunque vero sponte arcessitis jacent in malis, ut tu facis, hi nec venià digni sunt, nec misericordia. Tu vero efferaris, nec consultorem admittis; et quum quis animo benevolo monet, odisti, hostem et infensum tibi existimans. Nihilominus dicam, Jovem testem advocans; tuque ista scito et in animum inscribito. Enimvero morbo hoc afflictaris divinitus, postquam ad Chryses custodem accessisti, æditum anguem qui subdiali in fano latet: nullumque levamen gravis hujus morbi scito te unquam adepturum, donec sol hicce hac quidem exorietur, et illac rursus occidet, priusquam ad Trojæ campos sponte tua veneris, Æsculapiique filiorum, qui apud nos sunt, opem expertus, hoc libereris morbo, et Pergama hoc arcu simul et mecum exscindas. Quî vero hæc sic esse norim, jam eloquar. Nempe Trojanum cepimus virum, Helenum, vatem eximium, qui clare prædicat hæc ita fieri oportere, prætereaque in fatis esse, ut hac ipsa æstate tota capiatur Troja: sin minus, ultro se occidendum permittit, si hæc mentitus fuerit. Hæc ergo quum scias, concede lubens: quippe pulchra est obventio, si unus inter Græcos præstantissimus judicatus, primum quidem medicas in manus venias, deinde luctifica Troja expugnata, summam gloriam consequaris.

PHIL. O vita odiosa, cur tandem me retines apud superos videntem, nec sinis ad Orcum abire? hei mihi! Quî possim non obtemperare hujus sermonibus, qui me tam benevolo hortatur animo? sed fac me cessisse: qua fronte deinde prodibo in lucem infelix, hoc quum fecero? quis me alloquetur? Vosque, ô qui calamitates meas omnes vidistis, orbes astrorum, quomodo sustinebitis me videre cum Atridis conversantem, qui me perdiderunt? quomodo cum sceleratissimo Laërtæ filio? Non enim me præteritorum dolor adeo mordet, sed quæ ab illis mihi sunt adhuc patienda, prospicere videor. Quibus enim mens semel mala progenuit, ea illos porro quidquid reliquum est mali docet. Teque adeo demiror talibus me suadentem dictis. Haud enim te decet unquam ad Trojam redire; meque etiam, si mens ea foret, prohibere debebas, ne socium me illis adderem, qui contumelia te affecerunt, eximio decore paternorum armorum te spoliantes. Itane vero hisce tu auxilium ferre cogitas, meque eodem compellis? Ne, quæso, fili: sed, ut mihi jurasti, duc me domum; et ipse in Scyro manens, sinito perire malos illos male: hacque ratione duplicem a me inibis gratiam, duplicem a patre; nec, malos adjuvando, videberis malorum similis esse indole.

NEOPT. Consentanea quidem dicis: at tamen te velim Deorum fatis, meisque dictis auscultantem amico cum viro hoc ex hac terra navigare.

PHIL. Num ad Trojæ campos et Atrei inimicissimum filium, hoc misero pede?

NEOPT. Utique ad eos qui te atque hunc purulentum pedem liberabunt dolore, sanitatique restituent.

PHIL. O facti nefandi suasor, quid dicis, obsecro?

NEOPT. Quæ tibi mihique decori futura video.

PHIL. Et quum ista dixeris, non te pudet Deorum?

NEOPT. Cur enim pudeat, qui utilitatem sectatur?

PHIL. Atridarumne, an meam utilitatem hanc dicis?

NEOPT. Tuam scilicet; quippe qui amicus tuus sum, itidemque amica est oratio mea.

PHIL. Quîdum, qui me inimicis prodere cupis?

NEOPT. O bone, disce non ferocire rebus in malis.

PHIL. Perdes me, probe te novi, hisce tuis dictis.

NEOPT. Haud sane ego: aio vero te illa non intelligere.

PHIL. Equidem ab Atridis scio me ejectum fuisse.

NEOPT. Sed vide, an qui ejecere servabunt denuo.

PHIL. Nunquam hoc modo, ut volens Trojam conspicer.

NEOPT. Quid ergo nos faciamus, si te nihil quidquam eorum quæ tibi dico, flectere possit? Mihi quidem facillimum est verbis parcere, tibi vero vivere, ut vivis nunc, sine salute.

PHIL. Sine me pati hæc, quæ me oportet pati: quæ vero promisisti mihi dextræ fide data, domum ut me reducas, hæc mihi confice, fili: nec mora sit tibi ulla, nec memineris amplius Trojæ: satis enim mihi deplorata est fletibus.

NEOPT. Eamus ergo, si videtur.

PHIL. O generosum locute verbum!

NEOPT. Nitere nunc obfirmato gressu.

PHIL. Quantum quidem ego valeo.

NEOPT. Quî vere criminationem Achivorum effugiam?

PHIL. Nihil cura.

NEOPT. Quid si regnum populentur meum?

PHIL. Ibi præsens ego—

NEOPT. Quid facies ad præstandam opem?

PHIL. Herculeis sagittis—

NEOPT. Quomodo inquis?

PHIL. Eos arcebo a finibus patriæ tuæ.

NEOPT. Age, amice, si quidem ista, ut dicis, facis, ambula, osculata prius hac terra.

HERC. Nondum, priusquam nostros audieris sermones, Pœantis fili: scias autem vocem te Herculis auribus haurire, vultumque cernere: tua vero gratia huc venio, relicta cœlesti sede, Jovis tibi declaraturus consilia, prohibiturusque iter, quod inire paras. Proinde tu audi mea dicta. Et primum quidem meas tibi dicam fortunas, ut tot exantlatis emensisque laboribus, immortale decus adeptus sum, quod ipse nunc cernis. Et tibi, certo scias, hoc evenire destinatum est, post hos labores ut gloriosa fruaris vita. Postquam ergo cum hoc viro Trojanam ad urbem veneris, primum quidem tetro morbo levaberis, princepsque virtute habitus totius exercitus, Paridem, malorum istorum auctorem, sagittis

meis configes, letoque dabis: tum Trojam vastabis, spoliaque, quæ tibi, ut fortissimo exercitus, eximia dabuntur, tuam domum mittes Pœanti patri, ad patriæ Œtæ subjectos campos. Quæ vero tu ceperis spolia hoc ab exercitu, sagittarum mearum monimenta ad meum rogum affer. Teque, Achillis fili, hæc moneo: nec enim tu sine isto vales Trojam expugnare, nec iste sine te. Ego vero Æsculapium, qui te morbo liberet, mittam ad Ilium: iterum enim illud meis sagittis capi fatale est. Hoc autem memineritis, quum urbem vastabitis, ut pietatem erga Deos colatis; huic enim alia omnia posteriora ducit pater Jupiter. Quippe pietas haud una cum hominibus occidit; sed, seu vivant, seu mortui sint, nunquam perit.

PHIL. O qui vocem optatam mihi misisti, longoque post tempore conspiciendum te dedisti, tuis dictis obsequar.

NEOPT. Huic quoque ego consilio assentior.

HERC. Ne longas ergo nectite moras; urget enim opportunum navigandi tempus, surgensque a puppi ventus.

PHIL. Age ergo procedens terram hanc salutabo. Vale, ô tectum, mea custodia, Nymphæque irriguis in pratis degentes, et fragor vehemens illisorum fluctuum, ubi sæpe meum, pulsante noto, caput maduit in antri recessu; sæpe et vocis mons Hermæus repercussum gemitum remisit mihi, morbi doloribus agitato. Nunc vos, ô fontes lupinusque potus, relinquimus, relinquimus jam, quod ita fore nunquam antea speravimus. Vale ô Lemni terra mari cincta, meque secundo cursu dimitte incolumem, quo potens fatum fert, sententiaque amicorum, et omnia domans Deus qui hæc comprobavit.

CH. Abeamus ergo omnes simul Nymphas marinas precati, ut reditus servatrices adsint.

DRAMATIS PERSONÆ.

PÆDAGOGUS.

ORESTES.

ELECTRA.

CHORUS VIRGINUM ARGIVARUM.

CHRYSOTHEMIS.

CLYTÆMNESTRA.

ÆGISTHUS.

SOPHOCLIS
ELECTRA.

PÆD. O DUCTORIS exercitus olim ad Trojam Agamemnonis fili, nunc coram intueri tibi licet illa, quorum fuisti semper cupidus. Hoc enim vetus illud Argos est, quod desiderare solebas: hic lucus est œstro percitæ Inachi puellæ: porro, mi Orestes, hoc Lyceum forum est lupicidæ Dei; ad lævam inclytum hoc est Junonis templum: quo vero pervenimus, crede te Mycenas opulentas cernere, exitialemque Pelopidarum domum, unde te olim e paterna cæde ereptum, traditumque mihi a germana tua sorore abstuli, et servavi, et educavi huc usque ætatis, paternæ necis ultorem. Nunc igitur, Oresta, tuque hospitum carissime, Pylade, quid facto opus sit ocius deliberandum. Namque jam nobis lucidum solis jubar matutinos excitat alitum cantus claros, nigræque noctis occidere astra. Priusquam igitur hominum quisquam foras egrediatur, conferenda sunt consilia: nam in eo sumus, ubi segnitiæ nihil est amplius loci, sed properato opus est.

OR. O famulorum carissime, quam certa mihi indicia exhibes benevoli in nos animi! Quemadmodum enim generosus equus, etsi jam consenuit, in periculo tamen non deficit animo, sed aures arrigit, sic et tu nosque incitas, et ipse inter primos sequeris. Proinde quæ decrevi tibi exponam: tu vero acutis auribus dicta mea hauriens, si quid a re aberro, corrige. Ego enim postquam Delphicum adii oraculum, ut discerem quonam modo pœnas sumerem patris ab occisoribus, hoc mihi responsum edidit Apollo, quod jam audies: *Solum me, nec armorum, nec exercitus instructum apparatu, clam ex insidiis meritam inferre manu necem.* Quoniam igitur tale oraculum audivimus, tu quidem, ubi te inducet temporis opportunitas, has ædes ingressus, fac resciscas quidquid intus agitur, ut cognitis omnibus, certa nobis renunties. Neutiquam enim te senecta adeo immutatum post tam longum tempus agnoscent, aut suspectum habebunt. Sermone autem tali utere, *hospitem te quidem Phocensem esse, missum a Phanoteo viro;* namque is summus est illis amicus: nuntia vero, jurejurando fidem dictis adstruens, *cessisse fatis Oresten violentâ morte, rapido curru delapsum Pythico in certamine.* Hæc summa sit orationis tuæ. Nos vero quum primum patri, uti jussit

Apollo, intulerimus libamina, et tonsas vertice comas tumulo imposuerimus, huc revertemur, manibus ferentes æream urnam, quam scis et ipse in virgultis alicubi nobis abditam, ut fallaci sermone deceptis lætum afferamus nuntium, *periisse meum corpus, crematum jam et in cineris redactum.* Quid enim hoc mihi doleat, quando verbis mortuus re ipsa vivam, gloriamque reportabo? censeo enim dictum nullum esse male ominatum, quod lucrum afferat. Quippe jam sæpius vidi etiam sapientes, mortuos falso dictos, qui quum domum rediere, magis honorati fuerunt. Ita et me confido ex hac fama viventem, ut sidus, obfulsurum posthac inimicis meis. At ô patria terra, Diique indigetes, excipite me fausto omine reducem, tuque ô paterna domus: venio enim a Diis impulsus, ut repetendis scelerum pœnis te expiem: neque me inhonoratum dimittite ex hac terra; sed efficite, ut avitas opes possidens stator fiam domus. Et hæc quidem hactenus. Tibi vero jam, senex, curæ sit eunti tuum ut exsequaris munus: nos vero exibimus: occasio enim adest, quæ hominum cœptis omnibus optima est adjutrix.

EL. Hei mihi miseræ!

PÆD. Et quidem visus sum famularum aliquam suspirantem intra ædes audire, ô fili.

OR. Num misera est Electra? vis hîc maneamus, et lamenta audiamus?

PÆD. Minime. Rebus aliis omnibus posthabitis, Apollinis jussa conemur exsequi: hisce præverti decet, patrique inferias facere: ista enim victoriam nobis conferent, cœptorumque felicem exitum.

EL. O lux pura, terramque ambiens spatiis æqualibus aër, quam multos sensisti meos lamentorum lessus, crebrosque adversi pectoris planctus cruentos, quum nox tenebrosa recessit! At quid longis noctibus agam, novit jam invisus torus ærumnosæ domus, quantopere miserum meum lugeam patrem, quem in barbara terra non Mars cruento excepit hospitio; sed mater mea, thalamique consors Ægisthus, ut quercum solent lignarii, ita illius diffidere caput cruenta securi. Nec quenquam, præter me, horum miseret, te, ô pater, tam fœda, tamque miserabili nece exstincto. At vero nunquam desinam lugere, acerbosque fletus edere, dum rutilantia videbo siderum lumina, hancque videbo lucem; sed, ut luscinia pullis orbata, ante fores harum paternarum ædium ejulans acutos omnibus sonos profundam. O domus Orci et Proserpinæ, ô terrestris Mercuri, et verenda Imprecatio, vosque ô severæ Deorum filiæ Erinnyes, quæ injusta nece peremptos respicitis, quæ furtivis stupris alienos violantes thalamos, adeste, opem ferte, ulcisciminor patris cædem nostri, et mihi meum mittite fratrem: sola enim amplius sufferre non valeo mœroris ingravescens onus.

CH. Heu filia, filia audacissimæ Electra matris, quid te semper ita maceras, inexpletum lugens illum olim dolosis impiæ matris artibus captum, sceleratæque proditum manui Agamemnonem? Utinam pereat, qui ista patravit, si mihi hæc optare fas est!

EL. Generosæ stirpis soboles, venitis labores meos lenituræ: novi quidem et intelligo ista, nec eorum quidquam me fugit: haud tamen desinam miserum patrem meum lugere. Sed, ô benevolentiæ omnigenam quæ rependitis gratiam, sinite me desperatas spes meas sic deplorare, eheu, eheu, obsecro.

CH. At tamen nec lamentis nec precibus patrem tuum excitabis ex Orci communi palude: sed luctus excedens modum, mœrori concedis ineluctabili, semperque gemens is te perditum. Cur, quæso, sortem cupis tam intolerabilem, in qua tamen malorum tuorum nulla est solutio?

EL. Non mentis est sanæ, qui miserabili morte exstinctorum parentum obliviscitur. Sed animo meo complacita est avis gemebunda, Jovis nuntia, quæ Ityn, semper Ityn luget. O omnibus modis miserrima Niobe, te, te equidem pro Dea colo, quæ saxeo in sepulcro semper lacrymas.

CH. Atqui, ô filia, haud tibi mortalium soli accidit calamitas, quam non æquo toleras animo, ut illi intus tui consanguinei ortu eodem prognati, nec ita te geris, ut Chrysothemis et Iphianassa, occulteque ille juventutem agens et dolens simul, quem felicem aliquando inclytæ Mycenæ excipient paterno clarum genere, propitio Jovis ductu in hanc urbem reversum Oresten.

EL. Quem ego scilicet indesinenter exspectans, sine liberis infelix, innupta, perpetim obambulo, lacrymis madens, inexhaustas ærumnas ferens: ille vero obliviscitur acceptique a me beneficii, mandatorumque quæ ei misi. Quid enim non mihi venit falsi de eo nuntii? Namque semper quidem cupit: cupiens vero non dignatur unquam venire.

CH. Confide mihi, confide, filia: est magnus in cœlo Jupiter, qui inspicit et moderatur omnia: cui acerbiorem committens iram, neque inimicis nimium succenseas, neque tamen non memineris. Tempus enim facilis est Deus. Nam nec qui nunc pascuis abundantem Crisæam habitat oram filius Agamemnonis nunquam reflectet pedem, neque Deus ipse qui apud Acherontem imperat.

EL. Sed mihi jam magna peracta pars vitæ spes irritas foventi, neque amplius obfirmare queo, quæ parentibus orbata contabesco, quam nullus amicus tuetur; sed tanquam inquilina quæpiam nullius pretii, vitam dego patris in thalamis, sic quidem sordida amicta veste; vacuis autem adsisto mensis.

CH. Luctuosa sane fuit illa vox, quæ reditum nuntiavit: luctuosa etiam illa patris in thalamo edita, quando æreæ securis adversus incussus est ictus. Dolus excogitavit, Cupido occidit, horrenda sævis in animis concepta prius sceleris forma; sive Deus, sive mortalium quis erat, qui illud patravit.

EL. O omnium quas vidi, longe acerbissima dies! O nox, ô cœnæ nefandæ horrenda calamitas, qua pater meus oppressus fuit, fœde necatus a geminis manibus, quæ vitam quoque meam proditam eripuere, quæ me funditus perdidere; quibus Jupiter magnus Olympius pares calamitates immittat; neque unquam illis bene sit, qui talia perpetrarunt facinora!

CH. Animum adverte, parce plura loqui. Non cogitas, quali e statu quales in ærumnas sponte tua incidis indigne? magno enim cumulo tute mala tua auges, anxio tuo animo semper gignens rixas. Atqui cum potentioribus jurgio contendere haud conducibile est.

EL. Eo me compulit malorum atrocitas: scio, nec me meus latet impetus animi. Sed, quid enim agam malis obruta? non temperabo his querelis, licet damnosis mihi, dum vita mihi suppetet. A quo enim unquam, cara progenies, audire possim dictum aliquod conveniens mihi? a quo opportuna cogitante? Mittite, mittite me consolari. Hic enim luctus nunquam solvetur, nec unquam præ dolore cessabo fletus innumeros fundere.

CH. Atqui benevolentia adducta ista dico, ut fida mater tibi consulens, ne malum malis accumules.

EL. At quis modus meæ afflictionis? cedo, quî honestum fuerit mortuorum curam abjicere? ubinam homo est eo ingenio natus? Neque sim apud tales honorata, neque, si cui nubam fortunato viro, cum eo habitem tranquilla, immemor debiti parentibus honoris, impetumque cohibens acutorum gemituum. Nam ille si mortuus jacebit terra insensilis, nec aliud quidquam; hi vero si non dabunt pœnas, cædem cæde luentes, peribit pudor, et omnis simul apud mortales pietas.

CH. Ego equidem, ô filia, tua gratia, meaque simul ipsius huc veni: si quid minus recte suadeo, tu vince; tibi enim obsequemur.

EL. Pudet me quidem, ô mulieres, quod ob assiduos fletus videar vobis nimium impotenti esse animo: verum ignoscite; eo enim me adigit necessitas. Nam quî generosà mulier non itidem lugeat, paterna cernens infortunia? quæ ego interdius et noctu semper magis pullulare quam marcescere video. Cui primum a matre quæ me genuit omnia inimicissima contigere: deinde mea ipsius in domo cum patris occisoribus conversor, horumque sub imperio sum, et horum ex arbitrio pendet, accipiamne aliquid an caream ego. Porro quales me dies agere putas, quando paterno in solio Ægisthum sedere video, quando et video iisdem quibus ille indutum vestibus, stantemque ad focum Diis fundere libamina, quorum in conspectu illum trucidavit? Denique quando horum video extremam contumeliam; occisorem nobis in lecto patris cum perdita matre, matrem si fas est eam appellare, quæ cum isto cubet. Illius vero adeo vesana confidentia est, ut cum piaculari consuescat viro, Deorum vindictam nullam reformidans: verum tanquam gaudens patrato scelere, redeunte singulis mensibus optato illo die, quo olim patrem meum ex insidiis interfecit, hoc ipso choros celebrat, immolatque hostias Diis servatoribus. At ego hæc misera conspicans in tectis ploro, contabesco et mecum tacita lugeo infelices illas epulas, patris dictas nomine. Neque enim palam lamentari licet quantum volupe est animo. Namque hæc verbo tenus generosa mater, alto clamore talibus me increpat probris: *O Diis mihique invisa, soline tibi mortuus est pater? nullusne alius mortalium in luctu est? Male pereas,*

neque te vel inferi Dei ab his fletibus liberent unquam! his me conviciis incessit. At si quando aliquem audit dicere venturum Oresten, tum furore percita inclamat adstans: *Non tu mihi horum causa es? Nonne tuum hoc est factum, quæ manibus ex meis subductum Oresten alendum alio clam emisisti? sed scito te dignas horum daturam pœnas.* Talia latrat, illamque simul ad ea instigat prope adstans inclytus sponsus, ille prorsus imbellis, mera illa noxa, qui mulieribus stipatus pugnas viris conserit. Ego vero Orestis adventum semper exspectans, his malis finem qui statuat, misera interibi pereo: dum enim ille semper molitur aliquid, nihil tamen promovens, præsentesque mihi et futuras spes corrupit omnes. Talibus ergo in ærumnis neque modeste agere, amicæ, neque pietatem colere facile est; sed qui in malis versatur semper, necesse est prorsus studia ut sectetur consimilia.

CH. Age dic, dum tu ita nobiscum loqueris, estne Ægisthus domi, an foras abiit?

EL. Abiit sane: ne credas, si domi esset, licuisse mihi foras prodire. Nunc vero ruri est.

CH. Confidentius ergo tecum sermones miscebo, siquidem ita factum est.

EL. Ille quidem abest: proinde, si quid vis, sciscitare.

CH. Et primum quidem te rogo, de fratre quid censes: venturusne est, an cunctatur adhuc? hoc scire cupio.

EL. Dicit quidem; sed dictis facta non suppetunt.

CH. Solet enim cunctari qui rem arduam molitur.

EL. Atqui ego ipsum nequaquam cunctata servavi.

CH. Bono es animo: generosa est indole, adeoque amicis opem feret.

EL. Ita fore confido: alioqui non tamdiu vixissem.

CH. Ne quid amplius dixeris: nam video ex ædibus tuam sororem patre eodem prognatam et matre eadem, Chrysothemin, inferias ferentem, quales inferis dari solent.

CHRYS. Quem tu rursus ante vestibuli fores progressa, ô soror, cies clamorem? nec te longum tempus docere potest, ut ne iræ vesanæ frustra indulgeas? Sane conscia sum ipsa mihi, quam doleam præsenti rerum nostrarum statu; adeo ut, si vires suppeterent mihi, ostenderem quo sim erga illos animo. Nunc vero malis circumventa, subductis velis navigare consultum censeo; nec putare me magnum quid facere, quum ne lædam quidem. Sed et te vellem idem quoque facere; tametsi justum non est te ita agere ut ego suadeo, sed ut ipsa rectum esse judicas; tamen si libera debeo vivere, dominantibus omnino parendum est.

EL. Atqui indignum est te eo prognatam patre, cujus filia es, illius esse oblitam, matris autem curam habere. Omnia enim tua ista dicta, quibus me commones, tibi ab illa suggesta sunt, nec quidquam ex te ipsa dicis. Sin autem, elige horum alterutrum, vel ut desipere credaris, vel recte sapiens amicos deserere: quæ modo aiebas, te, si suppeterent vires, tuum erga illos odium ostensuram esse; mihi vero, quum omnia experiar ut patrem ulciscar, nec te sociam addis, etiamque ne quid inceptem dehor-

taris. Nonne sic præter alia mala, timiditatis etiam in crimen incurris? alioquin doce me, vel ipsa disce ex me, quidnam lucri factura sim, si horum luctuum desinam. Nonne vivo? male quidem, haud nescio; ita tamen, ut sufficiat mihi. At illis molesta sum, ita ut exinde mortuo patri honorem tribuam, si qua horum apud inferos gratia est. Tu vero, quæ odisse ais, verbis quidem odisti; re autem ipsa cum patris occisoribus facis. At ego nunquam, ne quidem si mihi quis præmia tua illa afferret, quibus nunc delectaris, his me subderem: tibi vero lauta apponatur mensa, victusque abunde affluat. Enimvero solum hoc me sustentet, quod illis molesta sim; tuos autem honores nequaquam consequi cupio. Nec cuperes etiam tu, si sana esses mente. Nunc autem quum tibi liceat patris omnium optimi filiam dici, matris filia dicitor; ita enim quamplurimis videberis mala, quæ mortuum patrem et amicos prodis tuos.

CH. Ne quid iracundius, per Deos obsecro: nam dictis utriusque fructus inest, si tu quidem discas istius uti recte, et hæc rursus tuis.

CHRYS. Dudum equidem, ô mulieres, assueta sum istiusmodi hujus dictis: et ne meminissem quidem unquam, nisi maximum malum ei imminere audissem, quod eam perpetuis his reprimet a luctibus.

EL. Age ergo, expedi quid sit hoc tam grave malum: nam si mihi majus quid hisce dixeris, haud amplius obloquor.

CHRYS. Atqui quodcunque hujus rei novi, id omne enarrabo tibi. Decreverunt enim te, nisi horum lamentorum desinas, eo ablegare, ubi nunquam amplius solis jubar adspicies: viva autem in tenebroso specu procul ab hac urbe convicia fundes. Quamobrem adverte animum; nec unquam posthac malo accepto culpam in me conferas: nunc enim tempori sanum consilium capere potes.

EL. Istane, quæso, serio destinant in me facere?

CHRYS. Maxime, simul ac Ægisthus domum redierit.

EL. Utinam hac quidem gratia redeat ocius!

CHRYS. Quid tibi, ô misera, ultro imprecaris?

EL. Illum venire, si quid horum facere cogitat.

CHRYS. Ecquid mali ut patiaris? Satin' sana es?

EL. Ut a vobis aufugiam quam longissime.

CHRYS. Vitæ autem præsentis non tibi subit cogitatio?

EL. Pulchra scilicet vita mea est: mirum ni eam tueri velim.

CHRYS. At pulchra esset, si tu recte sapere nosses.

EL. Ne me doceas amicis esse perfidam.

CHRYS. Ego vero id non doceo; sed dominantibus ut morem geras.

EL. Tu hujusmodi dictis assentare: meum haud narras ingenium.

CHRYS. Atqui pulchrum est tamen, non cadere præ temeritate.

EL. Cademus, si sic oportet, patrem vindicantes.

CHRYS. At horum, sat scio, pater ipse nobis dat veniam.

EL. Ignavorum est hujusmodi dicta probare.

CHRYS. Tu vero non auscultabis neque consenties mihi?

EL. Minime sane: ne sim adeo mentis inops.

CHRYS. Pergam igitur eo quo iter institui.

EL. Quorsum autem vadis? cui fers ista sacra?

CHRYS. Mater me mittit, ut patris ad tumulum inferias feram.

EL. Quid ais? An mortalium invisissimo?

CHRYS. Quem ipsa occidit. Hoc enim vis dicere.

EL. Quonam ab amico persuasa? cui hoc placuit?

CHRYS. Ex pavore quodam nocturno, ut mihi videtur.

EL. O Dii patrii, adeste nunc, quæso, maxime.

CHRYS. Numquid fiduciæ tibi affert hic pavor?

EL. Si mihi insomnium narraveris, tum tibi illud dicam.

CHRYS. Sed paulum est quod hac de re dicere possim.

EL. Istud dic saltem: sane dicta paucula sæpe jam prostraverunt, vel erexerunt homines.

CHRYS. Fertur illum vidisse patrem tuum ac meum rursus in auras emersum: deinde illum in domo versantem cepisse sceptrum, quod gestabat olim ipse, nunc autem gerit Ægisthus, illudque in terram defixisse, atque ex eo in altum succrevisse germinantem ramum, quo obumbrata fuerit tota Mycenarum terra. Hæc sic exponi audivi a quodam qui præsens adfuit, quum illa Soli somnium narraret. Plura vero his non novi, nisi quod eo me illa misit ob conceptum ex hoc insomnio timorem. Per ego te patrios Deos obsecro igitur, ut mihi auscultes, neque per imprudentiam pessum eas. Nam si me nunc repelles, postea malo coacta me revocabis.

EL. At, ô cara, horum quidem, quæ portas manibus, tumulo admoveris nihil. Non enim tibi fas nec pium, a muliere adeo inimica inferias offerre patri, aut libamina fundere: sed vel projice ventis, vel alte effossa in terra conde, unde nunquam ad tumulum patris horum accedat quidquam: at donec moriatur, thesaurus ei iste sub terra adservetur. Omnino enim, nisi hæc audacissima mulier omnium nata foret, nunquam invisos hosce inferiarum honores illius, quem ipsa occidit, tumulo destinasset. Enimvero perpende, an tibi ipse videatur tumulo conditus mortuus munera hæc libenter accepturus ab ipsa a qua indignis modis occisus, extremis membris, ut hostis, truncatus est, quæque purificationis vice maculas abstersit illius capite. Num censes his quæ fers cædem illi expiari posse? Nequaquam fieri potest. Proinde hæc quidem omitte; tu vero præcide capitis extremos cincinnos tui, meique miseræ, illique da, parva hæc quidem, qualia tamen habeo, supplices has comas, et cingulum meum nulla expolitum arte. Pronis autem supplex genibus ora, ut propitius ex inferis veniat, opem nobis contra hostes laturus; utque filius Orestes validiore manu hostes adortus, vivus ipse jacentes conculcet pede; quo ipsius tumulum posthac ditioribus quam nunc manibus ornemus donis. Puto equidem, puto aliquid jam ipsum agitare animo, adeoque illi immisisse horrenda

hæc visu insomnia. Verum, soror, hisce subservi, quæ tibique et mihi cedunt vindictæ, ut et mortalium omnium carissimo, qui apud inferos est, communi patri.

CH. Pie virgo loquitur: proinde, si sapis, ô cara, illi obtemperabis.

CHRYS. Faciam, ut jubet: nam de re justa haud consentaneum est duos contendere, sed maturare factum. Hæc autem quum aggredior, per Deos quæso, amicæ, silentium mihi præstate; namque si hæc mater mea resciverit, haud sine magno meo malo credo istuc inceptum me ausuram esse.

CH. Nisi ego vates sum stulta, atque sana destituta mente, veniet Justitia sui prænuntia, justum afferens manibus robur: pœnas repetet, ô filia, quamprimum. Modo subit mihi ea fiducia, postquam audivi gratum de insomnio nuntium. Haud enim immemor est genitor tuus, Græcorum rex, neque vetus illa ferro cusa anceps bipennis, quæ illum occidit fœdissimis cum contumeliis. Multipes veniet et multimanus horrendis abdita latebris æripes Erinnys. Scelestarum enim et cæde pollutarum nuptiarum ambitio eos incessit, quos conjungi nefas erat. Idcirco confido istud quod nobis obtigit portentum nullo, nullo pacto innoxium fore sceleris auctoribus et sociis. Profecto mortalibus divinatio nulla est in diris insomniis nec in oraculis, nisi hoc nocturnum spectrum bene nobis cesserit. O laboriosa aurigatio quondam Pelopis, quam luctuosa exstitisti huic terræ! ex quo enim in mare præceps datus Myrtilus interiit, aureis e curribus diram per contumeliam magno impete ejectus, nulla unquam destitit ab hac domo ærumnosa calamitas.

CLYT. Soluta, ut videris, evagaris rursus: non enim adest Ægisthus, qui te cohibere solet, ne foras prodiens infames cognatos tuos: nunc vero, quia ille abest, nihil revereris me. Et sane multa ad multos dixisti de me, ut petulans sim, et præter fas et æquum prior te tuosque contumeliis adoriar. Atqui haud equidem proclivi sum ad contumeliam ingenio: male autem tibi dico, male audiens abs te sæpius: scilicet patrem tuum, nullus enim tibi alius est jurgiorum prætextus, a me occisum fuisse: a me quidem; pulchre id scio; nec cur negem ulla causa est: namque illum Justitia sustulit, haud ego sola, cui decebat te opitulari, si sana mente fuisses: quandoquidem pater ille tuus, quem lugere non desinis, germanam tuam sororem solus Græcorum ausus est immolare Diis, tametsi parem ille non sustinuit laborem gignendo, sicut ego parturiendo. Sed esto: tu vero me doce cujus gratia illam mactavit. Argivorumne dices? At nullum erat illis jus meam occidendi. Sed propter fratrem credo, Menelaum? occisis meis, nonne debuit ob hæc mihi pœnas dare? non ipsi Menelao liberi erant gemini, quos potius quam meam mori consentaneum erat, patre et matre genito quorum causa suscepta erat illa expeditio? Orcumne majo incesserat cupido meos, quam illius, liberos devorandi? an p ditissimo patri exstinctus erat amor erga liberos ex me suscep et vigebat erga liberos Menelai? Non hæc inconsulti ac m

voli sunt patris? sic censeo quidem, etiamsi aliter tu sentis: idem quoque diceret mortua filia, si posset loqui. Quocirca me sane eorum quæ feci haud piget: tu vero, si minus recte sapere tibi videor, ut fas et æquum est, me reprehende.

EL. Nunc quidem haud dices, te amaris dictis a me provocatam ista mihi regessisse: sed si veniam concedes mihi, et pro mortuo simulque pro sorore, ut par est, tibi respondebo.

CLYT. Age, permitto: verum si me semper simili verborum exordio affata fuisses, neutiquam fuisses auditu molesta.

EL. Ergo tibi dico. Patrem ais te occidisse; quo quid turpius dici unquam potest, seu jure id feceris, sive injuria? Dicam vero tibi, nullo te jure occidisse; sed eo te induxit suasus improbi viri, quicum nunc habitas. Interroga autem venatricem Dianam, cujus delicti pœnas reposcens classem adversis flatibus detinuit in Aulide: vel tibi dicam ego; ex illa enim sciscitari non fas est. Pater meus olim, ut ego accepi, quum in Dianæ luco luderet, excitatum cervum distinctum maculis, cornibusque insignem, cursu assecutus est, cujus in cæde se efferens superbum nescio quid emisit verbum: et inde irata Latoa virgo detinuit Achivos, ut pater mulctæ loco pro fera suam ipsius mactaret filiam. Hoc illa mactata est modo: non enim alio pacto expediri poterat exercitus vel domum, vel ad Ilium. Quapropter conatus multa, et reluctatus, ægre tandem illam immolavit, non ut Menelai iniret gratiam. Si vero, dicam enim etiam quod e re tua sit, fratris juvandi studio hoc fecit, ideone interfici eum oportuit a te? Qua lege? Vide, si legem hanc statuas hominibus, ne tibi ipsi damnum arcessas et pœnitentiam. Si enim alium pro alio trucidabimus, tu ipsa prima morieris, siquidem merita consequaris præmia: sed vide ne falsam causam prætexas. Doce me enim, nisi grave est, qua nunc gratia quæ factu sunt longe turpissima facis, quippe quæ viro abominando consuescis, cujus ope patrem meum olim enecasti, et procreandis liberis das operam, priores vero legitimos, et ex legitimis natos ejicis. Qui talia approbare possim? An etiam hoc dices, te istoc pacto filiæ mortem ulcisci? turpe sane id, etiamsi dixeris. Non enim honestum est inimicis nubere, filiæ causa. Sed ne quidem monere te licet, quæ statim clamas matrem me conviciis exagitare. Atqui dominam te haud minus quam matrem habeo, quæ vitam dego ærumnosam perpetuis in malis, quibus me vexas, tuque contubernalisque tuus. At ille alius, qui vix manum tuam effugit, miser Orestes, infelicem terit vitam, quem sæpe me tibi educare occisorem criminata es: et hoc quidem si potuissem, fecissem sane, id certo scias. Quocirca prædica me apud omnes improbam esse, vel maledicam, vel, si mavis, plenam impudentiæ; si enim his vitiis sum obnoxia, haud multum ab indole tua degener, non ero tibi dedecori.

CH. Spirantem iras video; at video neminem, cui curæ sit perpendere jure ne illa an injuria irascatur.

CLYT. Quid ego nam vero res istius curem, quæ contumeliosis adeo verbis parentem incessit, idque jam eo provecta æta-

tis? An tibi non videtur omni projecto pudore quodvis ausura facinus?

EL. Et nunc quidem, ne nescias, horum me pudet, etsi tibi secus videtur: intelligoque quam ætati meæ incongrua sint, quamque me parum deceant, quæ facio: sed tuum erga me odium, tuaque facta eo me adigunt ingratiis meis: a turpibus enim turpia docentur.

CLYT. O bestia impudens, an ego te, et mea dicta, et facta mea maledicere cogunt?

EL. Tu ipsa maledicis, non ego: quippe tu patras facta; facta autem facile verba inveniunt.

CLYT. Ita me sospitet Diana, ut pœnas hujus audaciæ dabis, simul ac Ægisthus domum redierit.

EL. Viden'? nunc ira incenderis, postquam mihi permisisti dicere quæ vellem, nec potis es audire.

CLYT. Non ergo male ominatis, parcens clamoribus sines me tranquille Diis sacra facere, quoniam semel tibi permisi omnia loqui?

EL. Sino, jubeo, sacrifica, neque posthac os meum incusa; nihil enim ultra loquar.

CLYT. Affer jam tu, quæ ades famula, omnigenûm fructuum libamina, quo vota huic Deo fundam discutiendis terroribus, quibus nunc agitor. Audi jam, Apollo Tutelaris, secretam meam precem: non enim inter amicos sermo est, neque omnia palam revelare convenit, prope hac adstante mihi; ne odio concitata, petulanti cum clamore per totam urbem inanes disseminet rumores: sed sic accipe, ut occultis verbis tibi dicam. Nempe hac nocte oblata ancipitis insomnii spectra, hæc mihi, Lycee Rex, si fausta quidem visa sunt, fac rata; sin adversa, inimicis ea transmitte retro: et ne, si qui struunt insidias, ut me præsentibus opibus evertant, id fieri sinas: sed sic me semper incolumem colentem vitam, Atridarum domum sceptraque hæc regere concede, prosperaque fortuna utentem amicorum frui consuetudine, quibuscum nunc conversor, liberorumque, qui mihi non volunt male, nec odio molesti sunt. Hæc, ô Lycee Apollo, propitius audiens, da nobis omnibus, quemadmodum exposcimus. Cetera vero omnia, etiam me tacente, existimo te, qui Divus es, pulchre nosse. Jove enim prognatos consentaneum est omnia videre.

PÆD. Mulieres hospites, quî certo sciam, an hæc sit regis Ægisthi domus?

CH. Hæc est, ô hospes; ipse conjecisti probe.

PÆD. An etiam recte conjicio hanc esse illius uxorem? Nam reginæ similis est.

CH. Maxime: hæc ipsa tibi adest.

PÆD. Salve ô regina: tibi et Ægistho ferens advenio jucundum nuntium a viro amico.

CLYT. Amplector dictum: discere autem a te primum cupio, quis te misit hominum.

PÆD. Vir Phanoteus ex Phocide, rem magni momenti significans.

CLYT. Quidnam, hospes? dic: missus enim ab amico, amica, ut scio, dicturus es verba.

PÆD. Mortuus est Orestes: rem in pauca confero.

EL. Heu me miseram! perii hodie.

CLYT. Quid ais, quid ais, hospes? ne hanc audi.

PÆD. Periisse Oresten dico nunc, ut et prius.

EL. Occidi misera penitus: amplius jam nulla sum.

CLYT. Tu rem tuam age: tu vero, hospes, verum dic mihi, quo periit modo.

PÆD. Atqui hac gratia missus sum, remque tibi omnem enarrabo. Quum enim ille venisset ad nobilissimum Græciæ conventum, Delphicos propter ludos, simul ac audivit clara præconis voce cursum indici, quo primum contendi solet, ingressus est splendidus, omnibusque qui aderant admirandus: emenso autem tanta celeritate stadio, ut inter carceres et metam vix aliquid spatii esse videretur, egressus est, summum victoriæ decus auferens: atque ut multa paucis complectar, non alius viri talia novi facta, nec tale robur. Unum autem scito: quorumcumque enim certaminum a ludorum arbitris indicta fuere pro more quinquertia, horum omnium victor maximo plausu renuntiatus est, beatus ab omnibus prædicatus, Argivus quidem proclamatus, nomine autem Orestes, Agamemnonis filius, illius qui inclytum olim Græciæ congregavit exercitum. Et hæc quidem ita sunt: si vero Deus quis præpediat, ne præstans quidem robore effugere possit. Ille enim postero die, quum oriente sole committendum esset velox equestre certamen, ingressus est cum multis aurigis. Unus erat Achivus, unus e Sparta, duo Libyes docti quadrijuges currus regere, quintus ipse Thessalos ducens equos, sextus ex Ætolia cum flavis equis, septimus vir Magnesius, octavus albis cum equis Ænian genere, nonus ab Athenis divinitus conditis, denique Bœotius, decem curruum complens numerum. Stantes autem, ubi unicuique delecti ludorum præsides ductis sortibus locum assignaverant, quoque collocarant ordine, simul ac tuba signum dedit, eruperunt, increpitantes equos, habenasque quassantes manibus; totum completum erat stadium strepitu crepitantium curruum, pulvis in altum glomerabatur; una omnes inter se commisti, stimulis haud parcebant, ut alter alterius rotas frementesque equos præverteret: namque conferti equi alii aliorum aurigarum in terga rotarumque orbitas spumam fervidosque fundebant flatus. Ille autem sub ultimam metam jam currum agens, propius propiusque admovebat modiolum rotæ, funalique ad dextram equo habenas laxans, sinistrum cohibebat. Et hac quidem tenus recti omnes steterunt currus: deinde vero Ænianis viri contumaces durique oris equi currum vi auferunt, et ex adverso, quum sextus jam septimusque conficeretur cursus, frontes impingunt Libyssis quadrigis: atque inde uno ex malo alius alium confringit et superincidit: totus vero repletus est curulibus naufragiis Crisæus campus. Quod ubi conspexit Atheniensis callidus auriga, extra orbitam deflectit, et frena inhibet, dum prætervehitur equestrem procellam in medio æstuan-

tem. Interea Orestes postremus omnium ultimo loco equ[illegible] agebat, in fine certam spem victoriæ ponens: qui simul ac vi[illegible] Atheniensem illum solum relictum, velocium equorum aurib[illegible] incutiens acutum flagelli sonum, insequitur: et æquatis jug[illegible] ambo ferebantur, modo hic, modo ille equorum capitibus anteve[illegible]tens alterius quadrigam. Et reliquos quidem omnes cursus tuto exegerat infelix Orestes stans recto in curru: deinde remittens habenas flectentis sinistrorsum equi, imprudens in metam extimam impingit, fractoque rotæ modiolo, e curru volvitur, implicaturque loris: illo autem in terram prolapso, dissipati sunt equi medium per stadium. Cœtus ut vidit illum excussum curru, deploravit claris lamentis adolescentis vicem, quibus rebus gestis, quæ sortiretur mala, raptatus modo per solum, modo cœlum versus crura protendens, donec ipsum aurigæ, vix tandem cohibito equorum cursu, solverunt cruore fœdatum adeo, amicorum ut nemo miserabile videns corpus unquam agnosceret. Et ipsum rogo impositum cremarunt illico, parvaque in urna permagni corporis miserabilem cinerem Phocenses delecti viri huc afferunt, ut patria in terra tumuletur. Ista sunt quæ dicenda habui, relatu quidem tristia, spectantibus vero, quotquot spectavimus, gravissima omnium quæ unquam vidi mala.

CH. Heu heu! totum ergo priscorum dominorum radicitus, ut videtur, interiit genus.

CLYT. O Jupiter! quî ista accipiam? feliciane dicam, an atrocia quidem, lucrosa tamen? triste vero est, quod vitam conservo meis ipsius malis.

PÆD. Quid ita, mulier, audito hoc casu, angeris animo?

CLYT. Peperisse magnam vim habet: mater enim ne quidem injuria affecta prolem suam odisse potest.

PÆD. Frustra igitur, ut videtur, huc venimus.

CLYT. Minime quidem frustra: quomodo enim frustra dixeris? siquidem ades certa mihi afferens de illius morte indicia, qui ex me prognatus, ab uberibus meis et educatione mea se segregans, exsul peregrinam vitam egit: neque me, postquam ex hac terra abiit, unquam vidit: accusansque me paternæ cædis, atrocia interminatus est, ita ut nec noctu nec interdiu dulcem somnum ceperim: sed nullum tempus sperare poteram, quod imminentis necis metu vacuum esset. Nunc vero, (hac enim die liberor periculo, nihil ut timeam posthac ab ista illoque: ista enim acerbior erat pestis, una mecum habitans, meum exhauriens semper animæ merum sanguinem), nunc tranquillam, saltem quod ad istius attinet minas, vitam transigemus.

EL. Hei mihi miseræ! nunc enim adest, cur deplorem, Oresta, tuam vicem, quando in cinerem redactus, contumeliis insuper ab hac matre afficeris. Num sic bene agitur?

CLYT. Haud sane tecum; sed cum illo, ut habet, bene actum est.

EL. Audi ultrix Nemesis illius qui modo interiit.

CLYT. Audiit quos oportuit, eorumque vota rata fecit pulchre.

EL. Insulta; nunc enim felix es.

CLYT. Non ergo Orestes et tu felicitatem hanc delebitis.

EL. Nos ipsi deleti sumus, nedum te possimus delere.

CLYT. Multa dignus esses, hospes, ferre præmia, si hujus petulantes clamores compescuisses.

PÆD. Abibo igitur, siquidem hæc recte habent.

CLYT. Non facies: neque enim hoc me dignum esset, neque illo qui te misit hospite: sed ingredere, istam vero foris clamare sine suasque ipsius et amicorum miserias.

EL. Num vobis ut dolens et mæsta graviter lacrymare et lamentari impia videtur filium miserabili exstinctum leto? sed irridens intro se abripuit. O me miseram! Oresta carissime, ut me tua perdidisti morte! Avulsisti enim ex animo meo quidquid mihi reliquum erat spei, fore ut vivus venires aliquando ultor patris meique miseræ. Nunc vero quo me convertam? sola enim sum, teque orba et patre. Sane oportet me servire denuo inter inimicissimos hominum, patris mei occisores. An tolerabilis hæc mea fortuna est? Equidem vero nequaquam cum illis posthac his in ædibus habitabo: sed hîc ante ostium prostrata, amicis destituta, contabescam. Quod si cui eorum qui intus sunt ægre erit, occidat licet: gratum enim erit mihi, si moriar: dolor autem, si vivam: quippe nulla mihi vitæ cupido est. Ubi tandem sunt Jovis fulmina, aut ubi lucidus Sol, si hæc intuentes iram tranquilli comprimunt? he, he, heu, heu!

CH. Filia, quid lacrymas?

EL. Heu!

CH. Ne quid gravius dicas.

EL. Enecas.

CH. Quîdum?

EL. Si de iis qui manifeste ad Orcum abierunt spem importuna suggeres, in me dolore jam tabidam, magis insultabis.

CH. Novi enim regem Amphiaraum auro nexis mulierum retibus obrutum; qui nunc tamen sub terra—

EL. He, he, heu!

CH. Immortalis imperat.

EL. Heu!

CH. Luctuosa sane ista sunt. Perditissima enim mulier—

EL. Sceleris pœnas dedit.

CH. Planissime.

EL. Scio, scio: exortus est enim aliquis, cui curæ fuit cædem ulcisci: mihi vero nemo superest amplius: quem enim habebam vindicem, is evanuit fato abreptus.

CH. Omnium es infelicissima.

EL. Et ego hoc satis superque scio in hac colluvie et diuturnitate multorum gravissimorum maximeque odiosorum dolorum.

CH. Justas esse scimus tuas querelas.

EL. Ne me ergo, ne me amplius soleris, ubi nulla—

CH. Quid ais?

EL. Spes superest auxilii a nobili germano.

CH. Hominibus omnibus fato destinatum est mori.

EL. An etiam in celeripedum equorum certaminibus, ut misero illi contigit, implicari loris?

CH. Improvisa calamitas.

EL. Quippini? si peregrina in terra sine meis manibus—

CH. Papæ!

EL. Conditus est urna, neque sepulcri, neque lamentorum nobis honorem sortitus.

CHRYS. Præ gaudio ad te, ô carissima, propero, omisso decoro, ut citius veniam: læta enim affero, requiemque malorum, quibus gravabaris et ingemiscebas antea.

EL. Unde autem invenias tu meorum malorum levamen, quibus medelam nullam videre licet?

CHRYS. Adest nobis Orestes, certum hoc scias te ex me audire, ita manifestus, ut me nunc intueris.

EL. Num insanis, ô misera, et tuis ipsius malis, meisque irrides?

CHRYS. Patrios penates adjuro, haud sane joco ista dico, sed vere affirmo illum adesse.

EL. Hei mihi miseræ! Et quonam ex homine nuntium hunc audiisti, cujus fidei tam facile credis?

CHRYS. Equidem ex me ipsa, non ex alio, certa signa quum viderim, huic rei habeo fidem.

EL. Quodnam, misera, conspicata argumentum, quidnam, quæso, intuita incaluisti tam flagranti atque insanabili lætitia?

CHRYS. Per Deos ergo audi, ut, re cognita, deinde vel sapere me, vel desipere dicas.

EL. Fare ergo, siquidem id tibi volupe est.

CHRYS. Atque ædepol tibi omnia dicam quæcunque vidi. Nam simul ac veni patris ad vetus bustum, conspicor tumulo ex summo recens fusos lactis latices, et ornatum undique sepulcrum patris omni florum genere: quod quum video, admirans circumspicio, ne quis se mihi homo obviam offerat. Ubi vero in tranquillo omnem vidi locum, tumulum accessi propius, et summo in busto conspicor recens desectas comas; simulque ut adspexi misera, perculit animum illico familiaris facies, tanquam si hominum omnium carissimi Orestæ hoc viderem indicium: et manibus tollens, vocem quidem compressi, lacrymis autem præ gaudio rigavi ora. Nuncque ut prius perinde mihi compertum est a nemine hæc munera quam ab illo oblata esse: cui enim hoc præterquam mihi vel tibi convenit? atqui non tuli ego has inferias; satis hoc certo scio; neque adeo tu: qui enim potuisses? cui quidem vel Diis supplicatum exire ex hac domo non licet impune. Sed neque matri talia facere in mentem venire solet, nec, si fecisset, hoc nos fugeret. Verum sunt Orestæ hi procul dubio honores. Age, ô cara, confide: non sane eadem semper iidem fortuna utuntur: nobis quidem antea adversa erat: sed forte hæc dies multorum erit bonorum auspicium.

EL. O dementiam! ut me jam pridem miseret tui!

CHRYS. Quid est? an quæ dico non grata sunt tibi?

EL. Nescis quo terrarum, nec quo cogitationum ferare.

CHRYS. Qui vero nesciam, quæ vidi egomet clare?

EL. Mortuus est, ô misera; et ab illo tibi sperata salus periit: ne amplius ad illum respicias.

CHRYS. Hei mihi miseræ! ex quo hæc audisti mortalium?

EL. A quodam qui aderat, quum periret ille.

CHRYS. Ubinam is est? Profecto subit hæc mirari.

EL. Intus, jucundus, neque matri molestus.

CHRYS. Hei mihi miseræ! cujusnam ergo hominum erant multæ illæ ad patris tumulum inferiæ?

EL. Opinor equidem maxime ab ignoto aliquo apposita fuisse ista mortui Orestæ monimenta.

CHRYS. O me infelicem, quæ gaudio concita lætum huc ferens nuntium properabam, ignara scilicet, qua essem in calamitate! Nunc vero, ubi veni, prioresque, aliasque insuper reperio miserias.

EL. Ita hæc se tibi habent. Si vero mihi auscultabis, præsentis mali onere nos levabis.

CHRYS. Num, quæso, mortuos resuscitabo?

EL. Non istuc est quod dixi: haud enim demens sum adeo.

CHRYS. Quid igitur jubes, quod ego præstare valeam?

EL. Ut quod monebo audeas exsequi.

CHRYS. Atqui, siquidem ex usu erit, non detrectabo.

EL. Vide; sine labore nihil prospere cedit.

CHRYS. Video; conferam quidquid potero.

EL. Nunc igitur audi, quo pacto rem conficere decreverim. Tu quidem ipsa scis amicorum auxilium ut nobis nullum sit; sed Orcus eos abripiens nos orbavit, solæque relictæ sumus. Ego equidem quamdiu fratrem in medio esse audivi florentem ætate, spem habui, venturum eum aliquando paternæ cædis ultorem: nunc vero, quando non est amplius, ad te respicio, ut qui propria manu patri necem intulit, hunc mecum ne dubites occidere; nihil enim exinde me tibi reticere fas est. Quousque enim conquiesces? quam spem respectas adhuc firmam? cui adest quidem copia lugendi, paternis opibus dejectæ, adest et mærendi copia, quippe quæ tamdiu consenescis expers nuptiarum: nec sane speres te cuiquam nupturam aliquando: haud enim adeo vir inops est consilii Ægisthus, ut luculento cum suo damno tuam unquam vel meam succrescere sinat sobolem. Verum si consiliis meis obsecuta fueris, primum quidem pietatis laudem a mortuo patre, simulque a fratre reportabis: deinde autem, ut libera nata es, ita libera in posterum diceris, et nuptias te dignas nanciscere; solet enim unusquisque ad honesta respicere. Famæ vero non vides quantam celebritatem tibique et mihi conciliatura sis, si parueris mihi? Quis enim vel civis vel hospes conspicatus olim nos non prosequetur talibus laudibus? *Videte has duas sorores, amici, quæ paternam domum conservarunt, quæ vitæ haud parcentes suæ, inimicis olim summis opibus pollentibus mortem obtulere: has amare decet, has decet omnes venerari, has in Deorum festis inque civium conventibus honorare omnes decet, propter virilem virtutem.* Talia de nobis quilibet homo dicet, ut

dum vivamus, postque mortem etiam, nostra nunquam deficiat gloria. At, ô cara, obtempera, patri fer auxilium, adjuva fratrem, libera ex malis me, libera te ipsam quoque, hoc expendens, quam TURPE GENEROSIS VIVERE TURPITER.

CH. In talibus rebus prudentia et dicenti et audienti utilis est.

CHRYS. Immo antequam locuta esset, ô mulieres, si mens illi non læva fuisset, prudentiæ rationem habuisset, quam ab illa prorsus abjici videtis. Quo enim, quæso, respiciens ei ipsa ad tam audax facinus accingere, et me subsidio advocas? Nonne vides? mulier quidem, non vir, es: adversariis autem longe es inferior viribus; quorum quidem fortuna in dies felicior, nostra autem minor fit, et ad nihil redit. Quis igitur talem virum opprimere sine maximo suo malo aggredietur? Vide, ne male jam affectæ, majora nanciscamur mala, si quis istos sermones audierit. Nihil enim nobis profuerit, nec ulli erit adjumento, gloriosam adeptas famam indignis modis periisse. Haud enim mori tristissimum est, at quum mori quis cupiens, ne hoc quidem valeat assequi. Quare te supplex oro, priusquam nos funditus pereamus, vasteturque genus omne nostrum, iram cohibe: et quæ dixisti, pro indictis et irritis habebo, secretaque servabo. Tu vero saltem nunc sero sapere incipe, et disce, nullis ipsa prædita viribus, potentioribus cedere.

CH. Obtempera; nihil hominibus utilius contingere potest prudentia et mente sana.

EL. Inexspectatum nihil dixisti: pulchre enim noram, te consilia mea repudiaturam esse; sed mea solius manu peragendum est hoc opus: nequaquam enim id irritum dimittemus.

CHRYS. Vah! utinam tali fuisses animo tunc quum pater interficeretur! rem enim omnem confecisses.

EL. Eram quidem natura talis, sed animo tunc imbecilliore.

CHRYS. Da operam ut eumdem semper serves animum.

EL. Ut quæ non adjutura sis, ista me mones.

CHRYS. Mali enim incepti par est consimilem esse exitum.

EL. Laudo tuam prudentiam, sed timiditatem odi.

CHRYS. Libenter te audiam, etiam quando mihi bene dices.

EL. Sed ex me quidem id nunquam consequeris.

CHRYS. Sat longum restat tempus, quod hæc dijudicet.

EL. Abi; in te enim nihil est auxilii.

CHRYS. Inest: tibi vero deest docilis animus.

EL. I, matri hæc omnia enarra tuæ.

CHRYS. Nondum tanto in te incensa sum odio.

EL. Scias tu tamen, quo me infamiæ adducis.

CHRYS. Non quidem infamiæ, sed providentiæ, ut tibi ipsi caveas.

EL. Ergone, quod tibi justum videtur, sequi me oportet?

CHRYS. Quippe quum recte sapies, tum nobis præibis.

EL. Mirum est profecto bene dicentem perverse agere.

CHRYS. Quo tu laboras morbo, plane elocuta es.

EL. Quid ergo? An hæc ego tibi parum recte dicere videor?

CHRYS. At enim quæ recta sunt nonnunquam nocent.

EL. Has ego juxta leges nolo vivere.

CHRYS. Sed si ita ages, postmodo laudabis me.

EL. Equidem agam, terricula tua nihil moror.

CHRYS. Etiamne hoc certum, neque consilium mutabis?

EL. Consiliò enim nihil est odiosius malo.

CHRYS. Intelligere videris nihil eorum quæ loquor.

EL. Olim decreta sunt hæc mihi, non nuper.

CHRYS. Abibo igitur: neque enim tu mea dicta sustines probare, neque ego tuos mores.

EL. Quin abi domum. Non ego tibi, ne impensius quidem cupienti, comes futura sum unquam. Nam magna dementia est, venari id quod nusquam sit.

CHRYS. At si tibi ipsi sapere videris, talia licet sapias: verum ubi in mala jam incideris, mea probabis dicta.

CH. Cur, obsecro, quum superne involantes aves cordatissimas videamus earum victui prospicere, a quibus prognatæ sunt et educatæ, non idem et nos agimus? At ita ut Jovis fulmina sunt, et est cœleste numen Justitiæ, non diu ab illis malum aberit. O terram subiens mortalium fama, miserabilem vocem increpa defunctis Atridis, illætabilia nuntians opprobria: ut jam illis res domesticæ afflictæ sunt, utque diversis abreptæ studiis filiæ dissident, nec amplius componuntur amico convictu: prodita vero ac sola Electra vicem patris dolens perpetuo jactatur in luctu, ut semper flebilis luscinia, nullam vitæ curam habens, quin et mori parata, dummodo geminas opprimat furias. Usquamne alia tali animo reperiri possit nobili nata genere? Rebus in adversis nemo generosus nobilitatem suam dedecorare sustinet, nec committere ut fama nominis intereat: quare et tibi, ô filia, complacitum est perpetuo in luctu vivere communis calamitatis, ut profligato scelere, duplicem laudem eodem consilio consequaris, sapiensque dici, simulque optima filia. Utinam vivas mihi, superesque manu et opibus inimicos tantum, quantum nunc ab illis opprimeris! nam te iniquis fatis exerceri video, tametsi sanctissimas, quæ apud homines vigent, leges optime omnium coluisse perhiberis, tua erga Jovem pietate.

OR. Num, ô mulieres, recte accepimus, recteque eo, quo volumus, ingredimur via?

CH. Quid quæris, aut quid cupiens huc venisti?

OR. Ægisthum, ubi habitet, quæro dudum.

CH. Atqui recte venis, quique monstravit, culpa caret.

OR. Quæ igitur vestrûm intro renuntiabit nostram, qui huc una advenimus, exoptatam præsentiam?

CH. Ista, siquidem proximam generé nuntium hunc ferre decet.

OR. I, mulier, dic ingressa, Phocenses quosdam viros quærere Ægisthum.

EL. Hei mihi miseræ! num, quæso, illius, quam audivimus, famæ certa affertis indicia?

OR. Nescio quam prædicas famam: sed senex me Strophius quædam de Oreste nuntiare jussit.

EL. Quid est vero, hospes? ut me incessit timor!

OR. Mortui illius exiguas reliquias in parvo, ut vides, vasculo afferimus.

EL. Heu me miseram! Illud ipsum jam certum est: manifestum, ut videtur, dolorem cerno.

OR. Si quid Orestis commoveris casu, hoc vasculo scito corpus ipsius conditum esse.

EL. Da mihi ergo, per Deos obsecro, ô hospes, in manus vasculum hoc sumere, siquidem eo ille reconditus est, ut me ipsam, [illegible] totamque una genus, cum hoc lamenter et defleam cinere.

OR. Quæcunque sit tandem, huic date afferentes: non enim [illegible] hoc inimico animo expetit: sed ut ex amicis aliqua vel sanguine [illegible] conjunctis.

EL. O carissimi hominum mihi monimentum, animæ Orestis [illegible] quod superest unicum, quam longe dissimili spe te recipio, ac emi[illegible] miseram! Nunc enim te evanidum gesto manibus; domo te vero, ô fili [illegible] splendidum emisi. O utinam mihi prius defecisset vita, quam te in [illegible] peregrinam terram emitterem, manibusque subductum hisce ser[illegible]varem a cæde, ut illa ipsa die peremptus jaceres, communis cum pa[illegible]tre tumuli partem sortitus! Nunc vero domo extorris, exsul alieno [illegible] in solo male periisti, tua procul sorore; neque ego te infelix meis [illegible] manibus lavi, neque e rogo, ut decuit, abstuli miserabile onus [illegible]; sed peregrinis funeratus manibus infelix, parvum advenis pon[illegible]dus in parvo vasculo. O misera ego! ô inutilia quondam me[illegible] alimenta, quæ ego sæpius tibi dulci labore præbui! neque enim unquam matri fuisti carior quam mihi; nec quisquam alius erat ex familia, sed ego nutrix tua eram, tu me sororem compellabas semper. Jam vero defecerunt hæc una die exstincta tecum: omnia enim moriens simul abripuisti, velut procella. Periit pater: ego tibi sum mortua: tu ipse nullus es: rident autem inimici, insanitque præ gaudio mater impia, cujus tu mihi, per missos clam nuntios, sæpe significasti ultorem te venturum. Sed hæc prorsus evertit infelix fortuna tuaque et mea; quæ te huc deduxit, pro carissima forma, cineremque et umbram inutilem. Hei mihi! ô corpus miserandum, eheu! ô infaustum iter, hei mihi! quo ablegatus es, carissime! ut me perdidisti! perdidisti, inquam, ô germanum caput. Quocirca me recipe sub hoc tuum tectum, me quæ nulla sum, ad id quod nihil est, ut tecum apud inferos habitem posthac. Etenim quando apud superos eras, tecum fruebar pari sorte, et nunc quoque mortua tui tumuli particeps fieri cupio. Mortuos enim dolore conflictari non video.

CH. Mortali patre nata es, Electra, hoc cogita; mortalis etiam Orestes erat: quare nimios luctus compesce: omnibus enim nobis idem necesse est pati.

OR. Heu, heu! Quid dicam, quo me vertam, nescius quid exordiar loqui? linguæ enim amplius temperare non possum.

EL. Quis te solicitat dolor? quamobrem hoc dicis?

OR. Num tua nam inclyta est illa Electræ species?

EL. Illa ipsa est, et misere admodum habita.

Heu infelicem oppido hanc calamitatem !
Cur, quæso, hospes, mea causa ita ingemiscis ?
O corpus indigne atque impie deformatum !
Non aliam sane dudum quam me deploras, hospes.
Heu tuam innuptam et calamitosam vitam !
Quidnam, amabo, hospes, ita me intuens gemis ?
Quam nihil meorum adeo noveram malorum !
Quibus ex dictis nostris comperisti ea ?
Videns te manifeste multis oppressam doloribus.
Atqui pauca sane vides meorum malorum.
Et quomodo aliquis acerbiora hisce videre possit ?
Quia cogor cohabitare interfectoribus—
Cujusnam ? Quid istuc significas mali ?
Patris. Deinde his servio ingratiis meis.
Quis te eo necessitatis compulit mortalium ?
Mater vocatur, nihil autem maternum habet.
Quid agendo ? manusne violentas inferendo, an fœdo

Et vi, et fame, et omni malorum genere.
Neque qui opem ferat, nec qui prohibeat, adest ?
Nemo sane. Qui enim mihi unicus erat, hujus tu pro-
inerem.
O te infelicem ! ut te intuens dudum miseror !
Solum te mortalium esse scito, quem unquam mei mise-
t.
Solus enim advenio tuis dolens malis.
An nobis cognatus alicunde venis, obsecro ?
Dicam, si has benevolentes adesse sciam.
At sunt benevolæ : proinde coram fidelibus dixeris.
Amitte ergo hoc vasculum, ut omnia cognoscas.
Ne, quæso, per Deos, hoc mihi facias, hospes.
Dictis meis obtempera, nec peccabis unquam.
Ne, per mentum tuum, ne auferas carissima.
Non te hoc retinere sinam.
O me miseram ob te, Oresta, si hoc sepulcro privabor

Bona verba, quæso : immerito enim lamentaris.
Egon' immerito lamentor, ob mortuum fratrem ?
Non te decet ista loqui.
Itane mortuo contemptui habeor ?
Nemini tu es contemptui : sed hoc quod tenes, nihil ad
net.
Quidni ? si quidem Orestis hoc porto corpus.
At enim Orestis hoc non est, nisi verbis subornatum.
Ubinam est ergo infelicis illius sepulcrum ?
Nusquam. Viventis enim sepulcrum nullum est.
Quid ais, adolescens ?
Nihil equidem falsi dico.
Num ergo vivit ille ?
Siquidem mihi anima inest.

EL. Num ergo tu ille es ?

OR. Hoc intuita patris mei sigillum, pernosce an vera [illegible] eam.

EL. O carissima lux !

OR. Carissima, et ipse testor.

EL. O vox, advenisti ?

OR. Ne aliunde amplius sciscitare.

EL. Teneone te manibus ?

OR. Sic in posterum teneas semper !

EL. O carissimæ mulieres, ô cives optimæ, videte Orestem hunc, mortuum quidem modo vafris commentis, nunc vero eadem arte sospitem.

CH. Videmus, ô filia, et præ gaudio tam felicis eventus lacrymæ nobis ex oculis erumpunt.

EL. Io soboles corporis mihi carissimi, venisti tandem, reperisti, adspexisti quos maxime cupiebas.

OR. Adsumus ; sed tacita opperire.

EL. Quid vero est ?

OR. Tacere melius erit, ne quis intus exaudiat.

EL. At enim, ita me juvet casta semper Diana, nunquam metuendum existimabo inutile illud domi usque desidens mulierum pondus.

OR. Videsis tamen, ut mulieribus etiam martius est animus : pulchre hoc nosti experta olim.

EL. Atattate ! mentionem haud obscuram injicis mali, quod nobis exortum est, nunquam solubilis, nec unquam delebilis.

OR. Novi hæc quoque : sed quum tempus monuerit, tum harum rerum meminisse oportebit.

EL. Quodvis mihi, quodvis nunc idoneum fuerit tempus ista merito conqueri : vix enim nunc tandem mihi concessum est libere loqui.

OR. Assentior tibi, quare facito ut hoc conserves.

EL. Quid agendo ?

OR. Ubi non opportunum est, noli prolixe dicere.

EL. Quî autem, te mihi in conspectum dato, æquum putem silentio sermonem commutare, quando te nunc ex improviso et præter spem intueor ?

OR. Tum me vidisti, quum me Dii impulerunt venire.

EL. Quod nunc commemoras, majore me multo perfundit lætitia, siquidem te Deus incitavit ut nostram venires ad domum. Equidem divinum hoc esse censeo.

OR. Nolim quidem lætitiam tuam cohibere ; tamen valde timeo ne nimium animo indulgeas.

EL. O qui longo post tempore, gratissimo confecto itinere, sic dignatus es te mihi in conspectum dare, ne me ita luctuosam videns—

OR. Quid ego non faciam ?

EL. Ne me prohibeas adspectus tui voluptate perfrui.

OR. Immo valde irascerer, si qui te alii prohibere vellent.

EL. Approbas ergo ?

OR. Quippini?

EL. O amicæ, audivi quem ego nunquam sperassem nuntium: vocem præclusit stupor, nec audito acerbo casu misera ejulatum erumpere potui: nunc vero teneo te; apparuisti gratissimum habens adspectum, cujus ego, ne si maximis verser in malis, obliviscar unquam.

OR. Supervacuos nunc mitte sermones, et neque me doce mater quam improba sit, nec ut paternis opibus exhauriat domum Ægisthus, easque profundat ac temere dissipet: temporis enim opportunitatem excluserit inutilis sermo. Quæ vero mihi apta erunt in præsens tempus, ea expone, nempe ubinam locorum aut apparentes, aut delitentes, ridentes inimicos adventu hoc nostro opprimamus. Cave autem, ne, nobis ingressis domum, hilari vultu matri te prodas gavisam: sed tanquam ob casum, qui falso nuntiatus est, ingemisce. Quum enim res nobis feliciter processerit, tunc gaudere licebit et ridere libere.

EL. At, ô frater, utcumque tibi complacitum erit, ita morem tibi geram: namque hac voluptate fruor a te accepta, non propria mihi: neque tibi ausim cum maximo meo emolumento vel tantillum molesta esse; non enim recte sic subservirem præsenti, qui favet, Deo. Tu vero nosti quæ hîc fiunt: quidni enim? quum audieris Ægisthum domo abesse, intus vero adesse matrem, quam tu neutiquam vereare, ne risu hilarem videat vultum meum: odium enim vetus penitus mihi infixum inhæret; et postquam te adspexi, nunquam desinam præ gaudio lacrymas effundere. Quî enim temperare a lacrymis mihi queam, quæ te uno hoc tuo adventu mortuumque et vivum adspexi? fecisti autem mihi ne speranda quidem; ita ut, si pater mihi vivus redeat, neutiquam id in prodigii loco habitura sim, sed creditura protinus me ipsum videre. Quando igitur ad hunc modum nobis advenisti, ipse rem auspicare, ut tibi animus est: nam ego sola si fuissem, non utrobique proposito excidissem; aut enim præclare me liberassem, aut præclare occubuissem.

OR. Tacere jubeo; nam quempiam e domo exire audio.

EL. Ite intro, hospites; præsertim quum ea afferatis, quæ neque domo quis repellat, neque cum voluptate admittat.

PÆD. O nimium stolidi atque vecordes, an de salute nihil amplius soliciti estis, aut ratio inest vobis nulla ingenita, qui vos, non propinquos malorum esse, sed malis in ipsis, iisque gravissimis, versari non animadvertitis? sed nisi dudum ego fores hasce servarem, prius intus conatus vestri quam corpora apparerent. Sed nunc hæc ego providi: quare jam omissis longioribus sermonibus, istisque immodicis lætis clamoribus, ite intro: nam cunctari in tali negotio malum est: urget autem occasio rei gerendæ.

OR. Quomodo ergo ingresso mihi comparatum erit quod superest negotii?

PÆD. Pulchre: commodum enim contingit, ut te nemo noscat.

OR. Nuntiasti videlicet me esse mortuum.

PÆD. Scito te illic jam unum esse de Orci incolis.

OR. Gaudentne igitur hoc nuntio, aut quid aiunt?

PÆD. Rebus confectis, narrabo: ut autem nunc est, bene se habent illorum omnia, etiam illa quæ non bene.

EL. Quis hic est, frater? Dic mihi, per Deos obsecro.

OR. Non cognoscis?

EL. Ne in mentem quidem venit.

OR. Ignoras cui me in manus tradidisti olim?

EL. Cui? quid narras?

OR. Cujus manibus Phocensem in terram clam delatus sum tua providentia,

EL. An hic ille est, quem olim ex multis ego solum inveni fidum, pater quum daretur neci?

OR. Hic est; ne me pluribus verbis roga.

EL. O lux jucundissima, ô unice servator domus Agamemnoniæ, quomodo huc venisti? an tu ille es, qui hunc et me servasti a multis malis? ô carissimæ manus, tuque gratissimum habens pedum ministerium, quare jampridem, quum adesses, me fallebas, nec te indicabas, facta habens dulcissima mihi? Salve, ô pater! patrem enim videre videor: salve. Scias vero te unum omnium hominum maxime mihi odio et amori fuisse una hac die.

PÆD. Satis esse censeo; multæ enim volvuntur noctes diesque totidem, quibus tibi, Electra, omnia declarare licebit quæ interea gesta sunt: vobis autem, Oresta Pyladeque, edico nunc tempus esse rem aggrediendi; nunc Clytæmnestra sola, nunc nemo virorum intus: si vero differetis, cogitate et cum his, et prudentioribus aliis, iisque pluribus, vos dimicaturos.

OR. Non hic longo sermone amplius, Pylade, opus est, sed quam ocissime ire intro, salutatis prius Deorum patriorum simulacris, qui huic vestibulo præsunt.

EL. O Rex Apollo, propitius illos audi, meque simul cum his, quæ sæpe tibi cum donis, ut sors mea ferebat, supplices tetendi manus: nunc autem, ô Lycee Apollo, cum verbis, quæ sola habeo, supplex ad te venio, peto, precor, adsis nobis benevolus hujus cœpti adjutor, et ostende mortalibus præmia impietati qualia tribuant Dii.

CH. Videte quo prorumpit sanguinem spirans ineluctabilis Mars. Subeunt jam tecta domus ultores immanium scelerum, inevitabiles canes: quare non amplius longa erit mora, et quod mihi animus vaticinatus est, eventus comprobabit. Namque furtivo pede penetrat domum, antiquarum opum paternas in sedes, manium vindex, recens acutum gladium manibus tenens: Maiæ vero filius Mercurius illum deducit ad ipsum finem, fraudem tenebris obtegens, nec amplius moratur.

EL. O carissimæ mulieres, viri actutum opus exsequentur: age silentio opperiminor.

CH. Quomodo, obsecro? quod nunc agunt?

EL. Illa quidem in funebrem cœnam lebetem instruit: isti vero prope adstant.

CH. At tu quid existi foras?

EL. Observatura ne imprudentibus nobis Ægisthus ingrediatur domum.

CLYT. Heu, heu! ô tecta amicis deserta, plenaque interfectoribus!

EL. Clamat intus aliquis: nonne audistis, amicæ?

CH. Non audienda infelix audivi, et tota horreo.

CLYT. Hei mihi miseræ! Ægisthe, ubi tandem es?

EL. Ecce iterum exclamat quispiam.

CLYT. O nate, nate, miserere matris.

EL. At tu neque hujus olim miserita es, nec, qui genuit, patris.

CH. O civitas, ô genus miserum, nunc te hujus diei fatum prorsus opprimit.

CLYT. Hei mihi! percussa sum.

EL. Iterum, si potes, feri.

CLYT. Hei mihi, rursum!

EL. Utinam et Ægistho simul!

CH. Perficiuntur imprecationes: vivunt ii quos humus tegit: multo enim occisorum sanguine cædem ulciscuntur dudum perempti.

EL. Sed prodeunt jam illi, cæsa Marti victima, cruore respersi manus: verum, Oresta, nescio ut res se habeat.

OR. Intus quidem recte, si modo Apollo recte vaticinatus est. Occubuit misera illa, nec est ut metuas amplius, ne te matris protervitas afficiat contumelia.

CH. Silete: video enim Ægisthum perspicue.

EL. O juvenes, non retro ibitis?

OR. Videtisne forte virum contra nos conferentem gradum?

EL. Eccum, ex suburbio venit lætus. . . . .

CH. Ocius corripite vos in vestibulum: prioribus modo feliciter peractis, ita hæc rursus—

OR. Confide: effecta dabimus, ut cupis.

EL. Age propera.

OR. Ecce vado.

EL. Quæ hîc agenda sunt, curæ erunt mihi.

CH. Huic viro pauca et quam lenissima verba in aures instillare expediat, ut imprudens ruat in occultum ultionis certamen.

ÆG. Quis vestrûm novit, ubinam sint Phocenses hospites, quos ferunt nobis nuntiasse, Orestem vita decessisse equestribus in naufragiis? Te sane, te percontor, te inquam, semper antea contumacem: nam id tibi maxime curæ esse opinor, teque ut gnarurem maxime posse dicere.

EL. Novi. Quî enim nesciam? nam sic fugeret me casus, quo nihil rerum mearum magis animum meum commovet.

ÆG. Ubinam ergo sunt hospites? doce me.

EL. Intus: amicam enim apud hospitam diversantur.

ÆG. Quid? Satin' certo mortuum illum nuntiarunt?

EL. Immo re ipsa palam fecerunt, non verbis modo.

ÆG. Licet ergo nobis manifestis ex signis rem cognoscere.

EL. Licet profecto, spectaculumque intueri perquam miserabile.

ÆG. Magnum sane, præter morem tuum, mihi narras gaudium.

EL. Gaude, si tibi læta hæc acciderunt.

ÆG. Silere jubeo, et pandi fores, ut conspiciat Mycenensium Argivorumque omnis multitudo, ut, si quis eorum antea elatus fuisset inani spe reditus illius viri, nunc mortuum eum intuens, frena accipiat mea, atque ultro ad sana consilia redeat, non vi coactus, meque castigatorem expertus.

EL. Fit hoc quidem a me: tandem enim sapere didici, et me potentioribus accommodare.

ÆG. O Jupiter! rem video, dicto absit invidia, quæ pulchre et feliciter cecidit: sin adest Nemesis, indictum volo. Velamentum omne removete ab oculis, ut lamentis etiam meis cognatio debitum consequatur honorem.

OR. Tu ipse auferto: non meum hoc, sed tuum officium est, hasce reliquias intueri, et compellare familiariter.

ÆG. Recte quidem mones, tibique morem geram: tu, vero voca mihi Clytæmnestram, sicubi domi est.

OR. Ecce ipsa prope te est: ne jam aliorsum specta.

ÆG. Væ mihi! Quid video?

OR. Quem times? quem non agnoscis?

ÆG. Quorumnam hominum in medios casses miser incidi?

OR. Non enim sentis, ut dudum vivos, quasi mortuos, alloqueris?

ÆG. Hei mihi! dictum intelligo. Non enim fieri potest, ut hic non sit Orestes, qui me alloquitur.

OR. Etsi optimus es vates, dudum tamen falsus es.

ÆG. Perii profecto miser: sed mihi permitte pauca saltem fari.

EL. Ne, per Deos quæso, frater, sinas eum ulterius loqui, nec longos producere sermones. Quid enim homo coopertus miseriis et morti destinatus brevi mora lucri ferat? sed quam celerrime eum interfice, interfectumque propone pollinctoribus, quos dignus est nancisci, longe a nostro conspectu. Namque unicum hoc mihi veterum malorum fuerit remedium.

OR. I intro propere: haud enim nunc sermonum certamen est, sed de tuo capite.

ÆG. Nam cur intro me ducis? si factu pulchrum est quod agis, quid tenebris opus? Quin statim interficis?

OR. Noli jubere; sed eo vade, ubi patrem meum occidisti, ut in eodem loco moriaris.

ÆG. Ecquid omnino necesse est hanc domum aspicere præsentiaque et futura Pelopidarum infortunia?

OR. Tua certe; ego vates tibi sum hac in re verissimus.

ÆG. Atqui haud paternam hanc artem jactitas.

OR. Multum obstrepis, nec interea promoves gradum; perge igitur.

ÆG. I præ.

OR. Te præire oportet.

ÆG. Num times ne te fugiam?

OR. Immo ne pro lubitu tuo moriaris, curare me decet, ut ne hac acerbitate mors tua careat. Par autem erat præsentem esse pœnam omnibus, qui plus posse vellent se quam leges, ut occiderentur: ita non cresceret improbitas.

CH. O genus Atrei, quam multas post calamitates in libertatem pervenisti hoc tandem itinere?



DEPERDITORUM
SOPHOCLIS DRAMATUM
FRAGMENTA.

DEPERDITORUM SOPHOCLIS DRAMATUM FRAGMENTA.

ΑΘΑΜΑΣ Α. καὶ Β.

DUAS hoc titulo fabulas edidit Sophocles. In priore, quantum conjicere licet, exhibebatur Athamas in furorem a Junone actus, filiumque Learchum interficiens, cujus casus dolore, postquam mentis compos factus est, solum vertit, exsilio se ipsum mulctans. Vide Apollodorum i. 9. 2. Posterioris vero hypothesin declaratam habemus ad Comici Nubes, ubi rusticus, quum a Socrate jubetur capiti coronam imponere, ait:

Ἐπὶ τί στέφανον; οἴμοι, Σώκρατες,
ὥσπερ με τὸν Ἀθάμανθ᾽ ὅπως μὴ θύσετε.

ad quem locum in scholiis inter alia hæc leguntur: Ἀθάμαντα δὲ ἡ Νεφέλη δίκην αὐτῇ δώσειν διὰ τοὺς παῖδας πεποίηκε. προσαχθεὶς οὖν στεφανηφορῶν ἐν τῷ βωμῷ τοῦ Διὸς σφαγησόμενος, ὑπὸ Ἡρακλέους σέσωσται. οὕτω γὰρ Σοφοκλῆς ἐν δράματι πεποίηκε. Alius: Ἐν Ἀθάμαντι Σοφοκλέους ὑπόκειται Ἀθάμας στεφανηφορῶν, ὥσπερ ἱερεῖον, δίκας εἰσπραττόμενος παρὰ Φρίξου. Tertius: Τοῦτο πρὸς τὸν ἕτερον Ἀθάμαντα Σοφοκλέους ἀποτεινόμενος λέγει. ὁ γάρ τοι Σοφοκλῆς πεποίηκε τὸν Ἀθάμαντα ἐστεφανωμένον καὶ παρεστῶτα τῷ βωμῷ τοῦ Διὸς σφαγιασθησόμενον. μέλλοντα δὲ ἀποσφάττεσθαι αὐτὸν, παραγενόμενον Ἡρακλέα, καὶ τοῦ θανάτου ῥυόμενον, λέγοντα ὡς σώζοιτο ὁ Φρίξος, δι᾽ ὃν ἔμελλεν ἐκεῖνος τεθνήξεσθαι. Cum istis comparentur, quæ congessit Apostolius ad Proverbium Μὴ θύσῃς ἄνθρωπον, ὡς Ἀθάμας: facile quivis sentiet quem ille descripsit, et Comici enarratores idem Sophoclis drama innuisse, Heathiumque nugari, quum ait *Prioris Athamantis argumentum haberi apud Apostolium Prov.* xiii. 46. *de posterioris vero argumento videnda esse scholia ad Aristoph. Nub.* 256. Utroque in loco una eademque res narratur; recentiorque Apostolius veteres criticos pæne ad verbum exscripsit.

Vide Lexicon in Ἀγχήρης. Βρυαζούσης. Ἔμπλεω. Ἐπισάγματα. Ἕρκεσι. Ἐχρηματίσθη. Ἐψία. Καταγνῶναι. Λευκὴν ἡμέραν.

ΑΙΑΣ ΛΟΚΡΟΣ.

I. Stobæus Ecl. p. 127. Theophilus ad Autolycum, lib. ii. cap. 37.

Εἰ δεῖν' ἔδρασας, δεινὰ καὶ παθεῖν σε δεῖ.
Δίκης γὰρ ἐξέλαμψε νῦν ὅσιον φάος.

Hunc qui patravit dira, tantumdem pati
æquum est, sacratum juris ut fulsit jubar.

II. Idem Floril. tit. xlviii. p. 183.

Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν ξυνουσίᾳ.

Dat sapere regi turba sapientum comes.

Senarium hunc Sophoclis esse ex Ajace Locro testantur Aristides tom. ii. p. 288. Libanius Epist. xxxiii. Zenobius Prov. v. 98. Agellius xiii. 18. Platonis errorem, aliis jam antea notatum, ostendit Gatakerus, qui de hoc senario copiose agit tom. ii. p. 173. Operam perdidit Wolfius, quum eum quæreret in superstitibus Sophoclis fabulis.

III. Idem tit. xcviii. p. 409.

Ἄνθρωπός ἐστι πνεῦμα καὶ σκιὰ μόνον.

Homo flatus est et umbra; præterea nihil.

In edito Stobæo tributus hic senarius Sophocli, sed omisso dramatis titulo. Adscriptum in Reg. cod. lemma Σοφοκλ. Αἴαντι. Similis est sententia in Flagellifero, v. 125.

IV. Idem tit. cxv. p. 473.

Τοὺς δ' αὖ μεγίστους καὶ σοφωτάτους φρενὶ
τοιούσδ' ἴδοις ἂν, οἷός ἐστι νῦν ὅδε,
καλῶς κακῶς πράσσοντι συμπαραινέσαι·
ὅταν δὲ δαίμων ἀνδρὸς εὐτυχοῦς τὸ πρὶν
μάστιγ' ἐρείσῃ τοῦ βίου παλίντροπον,
τὰ πολλὰ φροῦδα καὶ καλῶς εἰρημένα.

Vetera exemplaria adscriptum habent lemma Σοφοκλ. Οἰδίποδι, falso. Manifestus error Grotium permovit, ut dramatis titulum mutaret, Oïleumque sufficeret Œdipodi, e Cicerone, cujus locum mox proferemus. Sed fefellit eum conjectura. Oïleum nec Sophocles docuit, nec Euripides, cujus tamen inter fragmenta hos versus retulit in quemvis lapsum proclivis Barnesius, ut et duos alios senarios, quos exhibet Stobæus initio tit. xlvi. qui sunt ex Euripidis Syleo. Hominem seduxit Grotii ipsius error in Excerptis, p. 396. ubi hi versus designantur tanquam ex Euripidis Oïleo, quos in Florilegio tamen Sophocli adscripserat. Sobrie ista accuravit Musgravius. E Sophoclis Ajace Locro versus hos desumptos esse inter eruditos constat, quo in dramate recitabantur e Chori vel alîus persona Oïleum increpantis, quod filii mortem haud ferret moderate. Hoc ostendit Cicero Tuscul. iii. 29. "Itaque Oïleus ille apud Sophoclem, qui Telamonem antea de "Ajacis morte consolatus esset, is quum audisset de sui, fractus "est. De cujus commutata mente sic dicitur:

"Nec vero tanta præditus sapientia
"quisquam est, qui aliorum ærumnam dictis allevans,
"non idem, quum fortuna mutata impetum

"convertat, clade subita frangatur sua;
"ut illa ad alios dicta et præcepta excidant."

Sententiæ summam reddidit Cicero: formam ipsam expressit Grotius strictiori versione:

Plerumque magna præditos sapientia
tales reperias, iste se qualem gerit.
consilia bene dant rebus aliorum malis;
at ubi levis fortuna mutato impetu
crudeli in ipsos verbere intonaverit,
ibi illa cuncta pulchra præcepta excidunt.

V. Schol. Euripidis ad Alcestin 453. Καὶ παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν Αἴαντι Λοκρῷ.

Καὶ πῖξαι καὶ φορμικτά.

καὶ πῖξαι δέ τινες ἕτεραι λέγονται, αἳ χωρὶς ὀργάνου εἰς τὰ συμπόσια φοιτῶσι.

VI. Schol. Comici ad Aves 934. Σπολὰς, διφθέρα ὁποιαοῦν. Σοφ. Αἴαντι Λοκρῷ·

κατασίκτου κυνὸς
σπολὰς Λίβυσσα, παρδαληφόρον δέρος.

τὸ δὲ Σοφόκλειον ἐπὶ τοῦ δέρματος εἴρηται, τοῦ κρεμαμένου πρὸς τῇ τοῦ Ἀντήνορος οἰκίᾳ. Pollux vii. 70. σπολὰς δὲ, θώραξ ἐκ δέρματος, κατὰ τοὺς ὤμους ἐφαπτόμενος, ὡς Ξενοφῶν ἔφη, καὶ σπολὰς ἀντὶ θώρακος. Σοφοκλῆς δ' αὐτὴν Λίβυσσαν ὀνομάζει· Σπολὰς Λίβυσσα, παρδαληφόρον δέρος.

VII. Vide Lexicon in Ἑλλάς.

ΑΙΓΕΥΣ.

I. Strabo lib. ix. p. 601.

Πατὴρ δ' ἀπελθεῖν ὥρισ' εἰς ἀκτὴν ἐμοὶ
πρεσβεῖα νείμας τῆσδε γῆς· τῷ δ' αὖ Λύκῳ
τὸν ἀντίπλευρον κῆπον Εὐβοίας νέμειν·
Νίσῳ δὲ τὴν ἀνόμαλον ἐξαιρεῖ χθόνα
Σκείρωνος ἀκτῆς· τῆς δὲ γῆς τὸ πρὸς νότον
ὁ σκληρὸς οὗτος καὶ γίγαντας ἐκτρέφων
εἴληχε Πάλλας.

De divisione regni Attici inter Pandionis filios vide Meursium Regni Attici ii. 15. In tertio versu νέμειν, quod *habitare, possidere* significat, pendet ab ὥρισε. Male vulgo legitur νέμων.

II. Scholiastes Comici ad Equites 84.

Ἐμοὶ δὲ λῷστον πῶμα ταύρειον πιεῖν,
καὶ μή γε πλείω τῶνδ' ἔχειν δυσφημίας.

Hos quidem versus laudat Scholiastes ex Helena Sophoclis legitque in priore αἷμα ταύρου γ' ἐκπιεῖν. Utrumque male. Sunt ex Ægeo. Vide Casaubonum ad Athenæum, p. 234. et Hesychii interpretes ad glossam Ταύρειον πόμα. Eustathius, p. 881. l. 21. ἦν δὲ καὶ ποταμοῦ ὄνομα Τροιζηνίου, Ταῦρος· ἐξ οὗ καὶ ὕδωρ Ταύρειον παρὰ Σοφοκλεῖ, παρ' ᾧ, φασὶ, καὶ κρήνη τις Ὑόεσσα καλεῖται. Lectionem enarratoris Comici secutus Grotius, hos versus sic reddidit:

Potare tauri sanguinem melius mihi,
maledicta quam tot tantaque istorum pati.

Observat vetus interpres Comici e Symmacho, opinionem de epoto taurino sanguine, quo sibi mortem consciverit Themistocles, e

male intellecto Sophoclis loco ortam esse. Nempe πῶμα ταύρειον pro taurino sanguine acceperunt, unde αἷμα ex glossa intrusum fuisse videtur. De Themistoclis morte vide Thucydidem, p. 90. et Dukeri notam 87.

III. Pollux x. 160. καὶ κέστρα δὲ, σφύρας τινὸς εἶδος σιδηρᾶς, ὡς ἐν Αἰγεῖ Σοφοκλῆς·

κέστρᾳ σιδηρᾷ πλευρὰ καὶ κατὰ ῥάχιν
πλέον ἀλοῆσαι.

Sic legendum; non, ut in Polluce editum est, ἀλοῆσαι πλεῖον: nec πλεῖον ἀλοιῆσαι, ut Heathius.

IV. Stephanus in Χώρα—ἢ ἀπὸ τοῦ χώρα χωρείτης, ὡς ἀπὸ τοῦ ἕδρα ἑδρείτης, ἑσπέρα ἑσπερείτης. Σοφοκλῆς Αἰγεῖ·

ἐκλύομεν. οὐκ ἔγωγε χωρείτην σ' ὁρῶ.

καὶ ἐν Ἡρακλεῖ·

στρέφουσι κρήνης φῦλα χωρείτην ὄφιν.

Vide Toupii Epist. Crit. p. 123.

V. Pindari Schol. ad Pyth. ii. 62. Πειρατὰς τοὺς κατὰ πέλαγος λῃστὰς λέγομεν· κυρίως δὲ, τοὺς ἐν ὁδῷ κακουργοῦντας· παρ' ὃ δὴ καὶ ὁδουροὺς αὐτοὺς λέγουσιν Εὐριπίδης ἐν Ἀρχελάῳ·

ἔπαυσ' ὁδουροὺς λυμεῶνας.

καὶ Σοφοκλῆς ἐν Αἰγεῖ·

πῶς δῆθ' ὁδουρὸν οἷος ἐξέδοις λαθών;

Vide Valckenarii Animadv. ad Ammonium, p. 194.

VI. Schol. Homeri ad Odyss. η'. 106. Σοφοκλῆς ἐν Αἰγεῖ. (male vulgo ἐν Ἀργεῖ)

ὥσπερ γὰρ ἐν φύλλοισιν αἰγείρου μακρᾶς,
κἂν ἄλλο μηδὲν, ἀλλὰ τοὐκείνης κάρα
κινεῖτ' ἐν αὔραις, κἀνακουφίζει πτερόν.

ΑΙΓΙΣΘΟΣ.

Vide Lexicon in Ἀρύθμως.

ΑΙΘΙΟΠΕΣ.

I. Athenæus, p. 122. et ex eo partim Eustathius, p. 752.

Τοιαῦτα τοίνυν πρὸς χάριν τε κοὐ βίᾳ
λέγω· σὺ δ' αὐτὸς, ὥσπερ οἱ σοφοὶ, τὰ μὲν
δίκαι' ἐπαίνει, τοῦ δὲ κερδαίνειν ἔχου.

Cupiens tibi suadere, non te cogere,
hæc dico: tu, quod facere sapientes solent,
honesta lauda, sequere quod lucrum ferat.

II. Photius in Lexico Ms. citatus ab Albertio ad Hesychium, tom. i. col. 1472.

Ἐσφηκωμένον, ἐσφιγμένον. ἀπὸ τῶν σφηκῶν, οἳ κατὰ μέσον εἰσὶν ἐσφιγμένοι· ἔνθεν καὶ ὁ σφήν. Σοφ. Αἰθίοψι τοὺς ἐσφιγμένους μύρμηκας τῇ σαρκώσει·

Τετράπτεροι γὰρ νῶτον ἐν δεσμώμασι.

Ultima Glossatoris verba tanquam Tragici versum exhibuit Albertius, miro errore. Eadem habet ex eodem fonte petita, sed omisso fabulæ titulo, auctor Etymol. M. p. 385. initio. Huc

pertinet Hesychii glossa: Σφηκοὶ, οὐ κεχυμένοι τῇ σαρκώσει, ἀλλὰ συνεσφιγμένοι.

III. Vide Lexicon in Ἄναρκτον. Ἀνθοβόσκον. Ἀπισοῦ. Ὀρθόπτερον.

ΑΙΧΜΑΛΩΤΙΔΕΣ.

Genuinus hic est dramatis titulus, a librariis passim depravatus. Perperam citatur Sophocles ἐν Αἰχμαλώτοις, vel Αἰχμαλώτισιν, quod posterius quidem ad verum propius accedit. Argumentum e Trojana historia sumptum docet auctor hypotheseos Ajacis. Agebant in eo Trojanæ mulieres captivæ, ut in Troasin Euripidis: sed diversa fuit tractandi ratio quam iniit Sophocles. Quantum enim ex exiguis reliquiis conjicere licet, satyricum fuit hoc drama.

I. Harpocration in ἀπομάττων. Σοφοκλῆς ἐν Αἰχμαλωτίσι·

Στρατοῦ καθαρτὴς κἀπομαγμάτων ἴδρις.

καὶ πάλιν·

Δεινότατον ἀπομακτῆρα μεγάλων ξυμφορῶν.

II. Pollux x. 190. Αὐτὸ δὲ τὸ πήλινον, ὃ περιείληφε τὰ πλασθέντα κήρινα, ἃ κατὰ τὴν τοῦ πυρὸς προσφορὰν τήκεται, καὶ πολλὰ ἐκείνῳ τρυπήματα ἐναπολείπεται, λίγδος καλεῖται· ὅθεν καὶ Σοφοκλῆς ἔφη ἐν Αἰχμαλωτίσιν·

Ἀσπὶς μὲν ἡμῖν, λίγδος ὣς, πυκνὸν πατεῖ.

Videnda ad eum locum docta Hemsterhusii nota.

III. Schol. Comici ad Ranas 233. ὅτι οἱ ἀρχαῖοι καλάμῳ ἀντὶ κερατίου ἐχρῶντο. Σοφ. Αἰχμαλωτίσιν·

Ὑφηρέθη σου κάλαμος, ὥσπερεὶ λύρας.

Pollux iv. 62. Καὶ δόνακα δέ τινα ὑπολύριον οἱ κωμικοὶ ὠνόμαζον, ὡς πάλαι ἀντὶ κέρατος ὑποτιθέμενον ταῖς λύραις. ὅθεν καὶ Σοφοκλῆς εἴρηκεν· Ὑφηρέθη σου κάλαμος, ὥσπερεὶ λύρας.

IV. Suidas in Ὑπὸ παντὶ λίθῳ—Σοφ. Αἰχμαλωτίσι·

Ἐν παντὶ γάρ τοι σκορπίος φρουρεῖ λίθῳ.

Lapide sub omni latet insidians nepa.

Laudat hunc versum Scholiastes quoque Nicandri ad Theriac. 19. Notissimum proverbium ad quod alludit Comicus Thesmoph. 528.

V. Stephanus in Βωμοὶ—τὸ τοπικὸν βώμιος, καὶ κατὰ παραγωγὴν, βωμιαῖος. Σοφ. Αἰχμαλωτίσι.

Καὶ βωμιαῖον ἐσχάραν λαβών.

VI. Idem in Εὐρώπη—λέγεται καὶ Εὐρώπεια, καὶ διὰ τοῦ ι Εὐρωπία παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν Αἰχμαλωτίσι·

Καὶ νησιώτας, καὶ μακρὰς Εὐρωπίας.

Legendum forte μακράν. *et longe ab Europa.*

VII. Idem: Χρύση, ἡ πόλις τοῦ Ἀπόλλωνος ἐγγὺς Λήμνου. Σοφ. Λημνίαις·

Ὦ Λῆμνε, Χρύσης τ' ἀγχιτέρμονες πάγοι,

καὶ ἐν Αἰχμαλωτίσι·

Ταύτην ἐγὼ Κίλλαν τε καὶ Χρύσην,

Confudit Stephanus duas Chryses Lemniam et Troïcam. In Lemniarum versu intelligenda Chryse Lemni vicina: in Captivis vero Chryse Troïca, quod ostendit adjuncta Κίλλα, urbs agri Trojani. *Salmasius.*

VIII. Vide Lexicon in Αἰχμόδιτος. Ἀλιτρεσύνη. Ἀμφίλινα. Ἀνηκίς. Ἀπειθής. Ἄσεπτον. Ἄχνην. Βαιαί. Ἐμπλεύρου. Ἐνόπαις. Ἐνστερνομαντίαις. Ἐπιμάσσεται. Ἴαννα. Ἱερόλας. Ἱκτορεύσομεν. Φαῦλον.

ΑΚΡΙΣΙΟΣ ἢ ΛΑΡΙΣΣΑΙΟΙ.

Duplici titulo insignita fabula, cujus argumentum fuisse videtur mors Acrisii juxta oraculum a Perseo nepote interempti. Historiam vide in Apollodori Bibliotheca, lib. ii. cap. iv. 4.

I. Stobæus Floril. tit. viii. p. 51.

Βοᾷ τις; ὦ ἀκούετ'· ἢ ὑλακτῶ μάτην;
ἅπαντα γάρ τοι τῷ φοβουμένῳ ψοφεῖ.

Clamatur. exauditis? an frustra obstrepo?
facile anima metuens audit aut fingit sonos.

II. Idem tit. xii. p. 79.

Ἀλλ' οὐδὲν ἕρπει ψεῦδος εἰς γῆρας χρόνου.

Mendacium recusat ætatem pati.

Hunc versum huic Sophocleo dramati adscribit cod. Vindob. et sequentem Aloadis.

III. Idem tit. lxii. p. 237.

Δοῦλον γὰρ ἐν δεσμοῖσι δραπέτης ἀνὴρ
κοῖλον ποδισθεὶς, πᾶν πρὸς ἡδονὴν λέγει.

Fugitivus arctis vinculis coërcitus,
quin quæ placent loquatur, ambigere est nefas.

IV. Idem tit. lxxiv. p. 325.

Ἄλλως τε καὶ κόρη τε κ' Ἀργεία γένος,
αἷς κόσμος ἡ σιγή τε καὶ τὰ παῦρ' ἔπη.

Quum maxime sit virgo, et Argis edita,
quarum decus silere, vel pauca eloqui.

V. Idem tit. lxxix. p. 339.

Ῥῆσις βραχεῖα τοῖς φρονοῦσι σώφρονα
πρὸς τοὺς τεκόντας καὶ φυτεύσαντας πρέπει.

Animi modesti liberos paucis decet
uti parentes ad suos sermonibus.

VI. Idem tit. cviii. p. 457.

Θάρσει, γύναι· τὰ πολλὰ τῶν δεινῶν ὄναρ
πνεύσαντα νυκτὸς, ἡμέρας μαλάσσεται.

Ne metue, mulier: multa quæ in somnis mala
apparuerunt nocte, lenivit dies.

VII. Idem tit. cxx. p. 489.

Τοῦ ζῆν γὰρ οὐδεὶς ὡς ὁ γηράσκων ἐρᾷ.

